DE IMITANDO CHRISTUM

Thomas a Kempis

BV
4820
A1
1901
GTU
Storage

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

LIBRI QUATUOR

DE IMITANDO CHRISTUM

AUCTORE

THOMA A KEMPIS

EDITIO NOVA

ad sententiam Auctoris secundum politiorem normam
Romanam dicendi accuratius exprimendam

OPERAM CONFERENTE

MATRONA C. M. B. CLARISSIMA

de novo scripta et adornata, primum in fasciculis
PRÆCONIS LATINI evulgata nunc autem in librum
redacta

CURA ET SUMPTIBUS

FERDINANDI PHILIPS

GEOMETRÆ ET TECHNICI

PHILADELPHIÆ:

Typis exscripsit Prelum PRÆCONIS LATINI

ST. ALBERT'S COLLEGE

Entered, according to Act of Congress, in the year 1901, by
FERDINAND PHILIPS, M. E.,
In the Office of the Librarian of Congress,
at Washington, D. C.

SUÆ SANCTITATI

LEONI PAPÆ XIII-o,

Immortalis et indelebilis Imperii Romani Heredi;
Regum et Principum Christianorum Patri;
Gregis Christianorum Summo et Sancto Pastori;
Fidei, Morum ac Pietatis Christianæ Firmamento;
Iustitiæ, Bonitatis et Honestatis Vindici;
Litterarum, Optimarumque Artium Tutori;
Linguæ et Disciplinæ Latinitatis Protectori et Patrono;
Poetarum Latinorum Laurigero Principi;
Pontifici Romano Maximo;
Viro Amplissimo et Doctissimo,

Cum omni humilitatis obsequio
dat, dicat et dedicat
FERDINANDUS PHILIPS,
Geometra et Technicus.

Litteræ Ampl. ac Rdissimi Viri,

IOHANNIS RYAN,

Archi-Episcopi Philadelpheni, quibus Editori facultatem impertit.

(*Ex Anglico conversæ*).

Philadelphiæ, 18-o Ian., 1901.

"*Vir Clarissime! Sua Amplitudo, Archi-Episcopus, me certiorem te facere iubet, exemplar tuæ novæ editionis "De Imitando Christum" se percepisse. Otio non suppetente id non legit: sed arbitrio recensentis 'Ecclesiastical Review' qui de eo tam alte sentit, sese confidens, sperat fore, ut idem laudibus quæ de eo prædicantur dignum se præstiturum sit.*"

"*Cum votis optimis, ut cœptum e sententia succedat,*

Tui observantissimus,

Iacobus P. Turner, a Sec."

Commendationem criticam supra memoratam hic subnectimus.

EXCERPTA

E sententia critica Concinnatoris periodici "The American Ecclesiastical Review" (N. 5 Vol. XXIII., Nov., 1900), Neo-Eboraci, in America.

"Nova hæc libellorum *Thomæ a Kempis* versio fructus est iuncti laboris probati ingenii trium, qui eam moliendo tam speciei externæ, quam sensus Auctoris iustam rationem habuerunt. Eam, quum menda editionis primæ, velut periculi instar in *Præcone Latino* evulgatæ, extersæ fuerint, agnitionem sibi tum doctorum, tum ex consideratione spirituali, conciliare debere necesse est. . . . Velut adiumentum ad sancte vivendum, *De Imitatione*, solis Bibliis cedit locum; quapropter, inde a temporibus Guttenberg nullum librum toties prelo expressum fuisse arbitramur. NULLIUS TAMEN TENTAMINIS LATINITATEM EIUS, NON PARUM BARBARAM, ADORNANDI, CONSCII SUMUS, prohinc, novitate rei primum ad obtestandum impellimur. . . . . Verumtamen, utrum efficacia præceptorum sublimium non prope inæstimabili incremento augeatur, quum et verborum accedit decus, plane non constat. . . . Ad præcipua doctrinæ capita rite excipienda sensum singulorum verborum ac phrasium perspectum esse oportere, certe nemo asseverabit; at, quum libelli hi scripti eo consilio sint, ut sententias certas ac definitas, simul et salutares ministrarent, necquidquam nobis gratius videri debet, quam propria earum interpretatio.

Opus quod *Præco Latinus* ardore commendando et ingenio focillaverat, si sic collustratum iudicetur, animadversione ac patrocinio dignum est, quod medium litterarium splendidum, materiamque Latine legendi moribus integris consonam præbet. Putandum non est iuventutem nostram cognitionem Latinitatis Classicæ exiliorem e legendo memoriæque mandando versionem emendatissimam "*De Imitando*" comparaturam, quam e vertitando Cæsarem aut Sallustium; atque, insuper, *Thomæ a Kempis* studendo, iuventus indoli moribusque suis miro modo consuleret.

PRÆFATIO.

POPULUS Romanus, curriculo vitæ suæ in orbe absoluto, monumentum cultus humani cunctis perennius, suam linguam, nobis reliquit. Lingua Latina illud adminiculum exstitit, opera cuius Fides Christiana, Roma profecta, Orbem Occiduum lumine intellectus, doctrinaque morum, illustraverat, hodieque illustrat. Eadem ipsa lingua Latina est, quæ unitatem Religionis Christianæ, diversissimis gentibus communis, efficit; lingua Latina est illud vinculum, quod cunctas gentes civilitate Romana eruditas et expolitas in unionem Dogmaticam vincit et constringit. Summum Cœtus Romani Caput fidelium in toto orbe universitatem lingua Latina alloquitur, eique sic allocuti obsequuntur. Nemo sibi per-

suaserit hoc sine consilio ac Providentia Divina sic constitutum esse. Nec quisquam existimet se a veritate multum abfuturum, nec temere se vaticinatum esse, si quis mundum quondam Latinitate denuo victum iri mente conceperit.

Quod lingua Latina, hoc sensu accepta, apud eas præcipue gentes, apud quas civilitas Latina cultusque sufficiente ratione exsistendi iam dudum carent, adhuc ultro superstes est, nec solum superstes ea est, sed quod hæ ipsæ gentes sint Classicitatis præsidia ac propugnacula, secum reapse pugnat. Quin nec ulla profecto est gens, a Latinitate et a Roma alioquin remotissima, quæ non officialem Ecclesiæ linguam ipsum fundamentum suæ educationis statuerit.

Rebus miro quodam modo sic constitutis, indignumne ac temerarium alicui videbitur, si verba tam sacra tamque pulchra, veritates tam accurate definitas, præcepta morum tam salutaria, quam

quæ in quatuor libellis THOMÆ A KEMPIS, lingua Romæ æterna scriptis, iuventuti scholarum dilectissimæ præponenda arbitremur?

Præter constans desiderium nostrum THOMAM A KEMPIS sic legi posse, ut ex minus concinna eius Latinitate nihil contraheremus consuetudinis, quod veræ ac propriæ Latinitati *Romanæ* adversaretur, id præsertim nos ad editionem hanc castigatioris Latinitatis moliendam permovit, quod perspectum nobis esset in toto thesaurario Latinitatis Classicæ, præterquam pugnas et clades, cædes et rapinas, effusionem humani sanguinis, prorsus nihil dari, quod tenellis ingeniis ad legendum offerri et commendari posset. Num ideo, quia Commentarii C. Iulii Cæsaris normæ cognoscuntur politissimæ Latinitatis Romanæ, ratum ac probatum cordato cuique videbitur nulla omnino alia enchiridia fieri oportere quorum adminiculo ingenia iuvenilia ad Latinitatem

probatam educentur, quin corda et mores historiis crudelitatum, sævitiæ ac ferociæ humanæ periclitentur aut vero plane vitientur et inquinentur? Quamquam fini quem innuimus ne opella quidem hæc respondet, non enim eo proposito scripta erat, aliquam saltem partem consilii huius generis explebit. Si libelli hi, tamquam enchiridium perpetuum, ad quotidie legendum manibus iuventutis commissi fuerint, quippe ex quo sententiæ ad communes vitæ usus facientes continuo citari et recitari queunt, quid esse potest iis præstantius?

Eadem fere ipsa cogitata ante oculos versabantur Clmæ Matronæ C. M. B., quum politos tractatus Latinos, qui cum fructu legi possent, singillatim evulgandos molita esset, quo dein factum est, ut quum libelli THOMÆ A KEMPIS, de novo, elegantiore Latinitate exscribendi sibi commendati fuissent, tam parato, lætoque animo ad id præstandum se totam

dederet. At sic fata decrevere, ut Matrona cultissima ac piissima, morbo prohiberetur quominus opus tanto zelo, tantaque virtute cœptum ad finem optatum feliciter perducere posset, proinde, dum nos opus indefessa industria ac labore ad finem usque prosecuti fuissemus, ipsa, viribus corporis fractis, animo erat laborum testis, nec plane tacita, sed consilia impertiens rogata. Haud enim raro contigit ut ipsis nobis non confisi, nec octo interpretes Anglici, Gallici atque Germanici, quibus freti eramus, sat perspicuum et concordem sensum suaderent, consilium Matronæ C. M. B. nec hoc incassum invocaremus.

Superest ut hic memoremus non paucos fuisse, ut fieri fere solet, qui cæteroquin boni probique sunt habendi, quibus visum erat nos opus minime probandum nobis suscepisse, quum nos ad libellos tanta vetustate totque fidelium ac doctorum pietate sacros, in Latinitatem lit-

terariam convertendum accinxissemus. Alii textum nostrum priori posthabendum, eum potius quam nostrum se legere velle contenderunt. Verum hæc non argumenta, sed simultates iudicamus. Cui enim perito non constat textum antiquum tantis scopulis, tantis et tam obscuris ambagibus verborum periclitari, ut non raro omnes fere interpretes fefellerit? Si igitur, quum res ita sint, versiones in linguas modernas fieri tolerandum sit, quanto magis conveniat necesse est, ut Latinitas tam turbida et peregrina, Romanæ et genuinæ cedat locum. Insuper, nec adeo certum est Virum Venerabilem libellos hos vel maxime Latine scripsisse. Non enim desunt viri, nec parum spectabiles, qui THOMAM *Batavice* scripsisse contendant, atque sic scripta a collega quodam in Latinitatem Monasterii fuisse conversa. Quidquid tamen sit, Latinitas ea probanda non est, nec proinde studiosis præponenda & commendanda. Si

qui sint, qui se barbaram Latinitatem honestæ & decoræ anteponere affectent, humilitatem ac simplicitatem prætexunt; verumtamen sententia ea simultas est e superbia nata. Perinde enim atque is, qui spreto hominum cultorum modo dicendi, lingua quacunque moderna vulgi placita sequeretur eam ob rem humilis non audiret, sic idem de Latinitate iudicandum est. Nec lingua barbara ipsi Deo magis, quam polita et urbana, grata esse potest, alioquin dicendum foret Verum, Bonum et Pulchrum falso, malo et turpi non præstare. Præterea, barbariei vindex nec THOMÆ A KEMPIS honorem tribuit, quippe qui Latinitate barbara a Deo uberiores gratias elicere posse quam propria et honesta, minime docuerit, nec ideo secundum Romanum modum dicendi non scripsit ut eo *humilior* videretur, sed quod eo, se fatente ipso impar exstitit. Nec, denique, quisquam dixerit eam esse Latinitatem Ecclesiæ Ro-

manæ. Norma dicendi Ecclesiæ Romanæ nulla est statuta, quæ a consuetudine veterum Romanorum ullo modo differat, nec pro sacerdote Romano alia constituta est mensura quam pro Macro Terentio Varrone, Marco Tullio Cicerone, aut Marco Fabio Quintiliano. Qui ergo "originarium" textum Latinitati probatæ se malle affectat, nec Thomam honorat, nec Ecclesiæ bene vult, nec Deo hominibusque placere studet, sed suum præconceptum iudicium supremum esse contendit.

Loci THOMÆ complures tam sunt obscuri, ut interpretes Anglici, Gallici atque Germanici, quos perpetuo ante oculos habebamus, non raro in devia abiverint, sua quisque placita THOMÆ obtrudendo, aut vero verba verbis tantum reddendo, ne auctoris sensum se mutasse viderentur. Sententias quoque deprehendimus, quas interpretes moderni, interpretari non ausi, plane omiserunt. Summa quo-

que cura enisi sumus, ut Fidei principia præceptaque sarta-tecta manerent, nec violentia in interpretando spurii quid sufficeretur.

Cæterum cum omni candore et humilitate fatemur opus nos cum nulla temeritate et levitate nobis assumpsisse. Negotiis plurimis, iisque gravissimis et onerosis prope oppressi, ex opere vertendi, comparandi, limandi et poliendi haud exiguam voluptatem perinde ac fructum percepisse, hic gratissimi agnoscimus, atque pro iis Clmo amico nostro operisque socio, ARCADIO AVELLANO, Latino Pannonico longe scitissimo, e corde intimo gratias habemus et reddimus.

Quibus qualibusque alii ante nos interpretes laboraverint, THOMAM vertendo, obicibus ac difficultatibus, nobis utique cognitum non est; certo tamen asserere possumus, neminem unquam cura magis sedula ac diligenti in sensum mentemque auctoris inquisivisse. Alii lectiones tex-

tus, alli auctoritatem MSSrum et fontium indagarunt, alii denique fidem, formam, præsertim indolem rhythmicam eiusdem disquisiverunt: nos mentem Auctoris attingere conabamur. Si errores tamen usque irrepserint, contra quos nos munitos esse minime nobis persuademus, quum a doctis criticis amice edocti fuerimus, paratissimo animo eos eradicabimus, ut iam post quinque demum sæcula, tandem denique, hoc novo sæculo, piis lectoribus, THOMAM, pulveribus excussis, novum, perpolitum, claritate refulgentem, ut enchiridium scholis aptum, educatoremque optimum, tradamus et commendemus.

Datum Philadelphiæ, Æquinoctio Verno, Anno Domini Incarnati 1901,

FERDINANDUS PHILIPS,
Geometra.

VERBA

Clmæ MATRONÆ C. M. B.,

CUIUS OPERA ET CONSILIO EDITIO HÆC SUSCEPTA ERAT OPELLAM THOMÆ A KEMPIS *IN USUM SCHOLAREM COMMENDANTIA.*

MAXIMVS sane honor, perinde ac gaudium mihi contigit, quum præter meritum meum evocata fuissem, ut operam meam ad *Thomam a Kempis* Latinitate Romana donandum pro viribus conferrem. Grata parui, operi me sedula accinxi, lætaque quod corporis imbecillitas siverat, præstiti; per eam tamen superata victaque, labores arduos sociis operis me robustioribus cedens, animo deinceps vigili opus prosecutum comitabar. Persuasissimum mihi est textum nullïus prorsus auctoris Classici, ut Chrestomathiam in usum iuventutis scholarum, opellæ huic comparari posse. Hactenus, quod nemo negabit, lingua obstabat, quominus "Libri Quatuor

Thomæ a Kempis, de Imitando Chirstum'' in scholis cooptari possent; at nunc, textu *Thomæ* ad normam Romanam elegantius dicendi castigato, exterso ac perpolito, necquidquam vetare autumo,quin *Thomas a Kempis*, saltem apud gentes Christianas, eodem ac *Titus Livius Patavinus*, *C. I. Cæsar,* aut *M. T. Cicero,* loco honoris habeatur.

Si mentem sanam in corpore sano habitare convenit, sic et sententias tam Divinas splendida, decora et eleganti verborum forma indui ac vestiri oportere apud omnes candidos æque constabit. Quid igitur prohibeat, quominus dictio Classica Liviana, Cæsarea aut Tulliana cum sententiis eximiis *Thomæ a Kempis* copulentur ? Quid potest mente præstantius concipi, quam mysteria vitæ veraque Philosophia quam *Thomas* nos docet? quid dein præclarius aut elegantius quam lingua Romæ Classicæ? Æquum et congruum igitur est, ut tam mentis quam speciei pulchritudo iuventuti iunctim præponatur.

Ætas nostra elata est superbia intellectus, nec se humanitati ac virtutibus Chistianis docilem præbet ; quanto igitur magis ista tempestas nostra exigere videtur, ut adminicula humanitatis, quæ superbiam emolliant, animi motus vehementes sedent, cordaque impetu cœco abrepta demulceant. Balsamum eiusmodi Divinum iudicamus illa Libri II-di, Cap. IV-ti, Puncta 1-um atque 2-dum :

"Nulla est creatura nec tam minuta nec tam vilis, quæ non Dei bonitatem prædicet.— Si tu bono puroque esses animo, res, nulla obice impeditus, et videres et comprehenderes."

Item, in Puncto 2do Cap. I-mi, Libri I-mi:

"Qui verba Christi penitus, et ad medullam, intelligere cupiverit, eum ut totam vitam huic aptare conetur, oportebit."

E corde intimo mihi cognitum est versionem hanc Latinam consilio purissimo eaque mente initam fuisse, ut ea quæ ad doctrinam moresque spectarent, supremo Ecclesiæ iudicio atque auctoritati nulla conditione statuta, substernerentur.

C. M. B.

Liber Primus.

Admonitiones ad vitam spiritualem utiles.

CAPUT I.

DE CHRISTUM IMITANDO DEQUE CONTEMPTU CUNCTARUM MUNDI VANITATUM.

1. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, ait Dominus. (Ioan. VIII. 12.) Hæc sunt verba Christi, quibus monemur, ut, si vere illuminari et ab omni cœcitate cordis liberari velimus, vitam moresque eius imitemur.

Esto igitur studium nostrum summum de vita Iesu Christi meditari.

2. Doctrina Christi cunctis doctrinis Sanctorum antecellit; siquis autem spiritu earum imbutus esset, *absconditum manna* in iis inveniret. (Apoc. II. 17.)

At ex Evangelio nimis sæpe audito evenit, ut multi exiguo eius desiderio teneantur, spiritu enim Christi non pollent.

Verum, qui verba Christi penitus, et ad medullam, intelligere cupiverit, eum, ut totam vitam huic aptare conetur, oportebit.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

3. Quid proderit tibi profunda arcana de Trinitate disputare, si humilitate careas, et eapropter Trinitati ingratus evadas.

Verba, profecto, altisona sanctum et iustum non faciunt, sed vita virtutibus honestata Deo charum reddit.

Malo ut peccatorum meorum me pœniteat, quam ut pœnitentiam definire sciam.

Si integra Biblia, omniumque Philosophorum dicta, memoria teneres, quid totum tibi prodesset sine charitate gratiaque Dei?

Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præterquam Deum amare et ei soli servire. (Eccl. I. 2)

Summa sapientiæ hæc est: Ad regna cœlestia, spreto hoc mundo, eluctari.

4. Vanitas igitur est divitias perituras quærere et in illis spem collocare.

Vanitas quoque est honores appetere, seque ad summa dignitatis fastigia evehere.

Vanitas est illecebras carnis sectari et illa concupiscere, pro quibus ut olim graviter luendum sit oportebit.

Vanitas est vitam diuturnam exoptare, de bona autem vita parum sollicitum esse.

Vanitas est animum in vitam præsentem tantum intendere, futuris vero non providere.

Vanitas est cum amore caduca prosequi, nec eo festinare ubi gaudium viget sempiternum.

5. Proverbii: *Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu,* sæpe memineris. (Eccl. 1.8.)

Fac igitur ut cor tuum a concupiscentia sensibilium divellas, teque ad spiritualia convertas.

Ii enim, qui sensus duces sequuntur conscientiam commaculant, perinde atque et gratiam Dei amittunt.

CAPUT II.
DE MODESTA SUI ÆSTIMATIONE.

1. Nemo est quin nisu naturali scire cupiat; at quid interest scientia sine timore Dei?

Humilis profecto rusticus, qui Deo servit, præstat Philosopho superbo, qui se posthabito, cursum cœli contemplatur.

Qui se rite noverit, sese parvi pendet, nec laudibus hominum delectabitur.

Si cuncta quæ in mundo sunt mente complecterer, nec *charitatem haberem*, quid mihi apud Deum valeret, qui me e factis iudicabit? (Cor. VIII. 2.)

2. Cupidini nimium sciendi modum imponito; mens enim scientias prosequendo perquam distrahitur et decipitur.

Nam eruditi sapientes et videri et dici amant.

Haud pauca sunt quæ scire animam parum aut nihil iuvat.

Qui aliis rebus quam quæ suæ saluti prodesse

possint est intentus, insipientissimus habendus est. Anima multiloquio non satiatur, sed vita bona animum instaurat, *conscientia autem pura* fiduciam in Deum gignit. (1. Tim. III. 9.)

3. Quo plus meliusque sciveris, eo gravius ob eam rem iudicaberis, nisi sanctius vixeris.

Cave igitur tute ob ullam artem aut scientiam extollas, quinimo ob cognitiones tibi concessas vereare. Si tibi multa novisse reteque perspicere videaris, memineris tamen plura adhuc dari quæ te lateant.

Noli altum supere, sed potius inscitiam tuam fatere. (Rom. XI. 20.)

Quid tu te allcui præferre cupis, quum te doctiores legumque peritores plures inventantur?

Si quid discere scireque, quod usui sit, velis, nesciri ac pro nihilo reputari ames.

4. Summa, utilissimaque disciplina hæc est: Noscito et despicito te ipsum.

Sapientia magna est et perfectio se ipsum nihili facere, de aliis autem semper bene et alte sentire.

Si quem palum peccare, aut aliud quid gravius patrare videres, eo te pluris æstimare non deberes, quum nescis quam diu in bona perseverare possis. Omnes sumus fragiles, verumtamen te fragiliorem neminem existimabis.

CAPUT III.
DE DOCTRINA VERITATIS.

1. *Felix quem veritas per se docet, non per figuras et voces transeuntes, sed sicuti se habet!* (Ps. XVII. 36, Is. XXVIII. 26.)

Opinio nostra sensusque haud raro nos fallunt, nec nisi modicum vident.

Quid prodest acerba de rebus occultis et obscuris disputatio, quum in iudicio extremo earum ignorantiæ arguendi non simus.

Vesania summa est, quod neglectis rebus utilibus ac necessariis, curiosas et perniciosas insectamur. *Oculos habentes non videmus.* (Ps. CXV. 5.)

2. Ecquid curæ nobis sint genera et species? —Is, ad quem verbum æternum loquitur, ex ambagibus opinionum expeditur.

Nam ab uno verbo facta sunt omnia, et omnia hoc unum prædicant, atque hoc est *Principium, quod et loquitur nobis.* (Ioan. VIII. 25.)

Sine eo intelligit, aut recte iudicat, nemo.

Ei, cui nihil nisi unum, qui et cuncta ab eodem fonte repetit, cunctaque in hoc uno cernit, licet corde firmo esse, seque Deo concredere.

O Deus, tu veritas ipsa! fac ut tecum in charitate sempiterna unum sim.

Sæpe me tædet nimium legere et audire; totum quod appetam in te deprehendo.

Doctores cuncti conticescant, universæ creaturæ sileant in conspectu tuo; tu ad me loquere solus.

3. Quo magis quis in se indivisus, et intra se animo simplici fuerit, sine labore eo plura altioraque intelliget, quoniam lumen intelligendi desuper accipiet.

Animus purus, simplex ac stabilis discriminibus rerum non quatitur, omnia enim in honorem Dei perficit, et omni studio sui vacare conatur.

Quis te magis impedit et molestat quam proprius tuus cordis affectus?

Probus et pius quisque, opera sua, quæ palam prodere debet, prius secum disponit.

Nec illa eum ad desideria pravæ propensionis deflectent, sed ipse ea ad arbitrium rectæ rationis dirigit.

Cui impendet certamen acerbius quam ei, qui se ipsum vincere conatur?

Atque hoc esse deberet officium nostrum, vincere videlicet nosmet ipsos, atque in dies ipsis nobis fortiores fieri, nec non in præstantius quidpiam eluctari.

4. Quæcunque in hac vita perfecta arbitramur, vitio quodam imperfectionis laborant, nec speculatio nostra quælibet caret quadam obscuritate.

Humilis tui ipsius cognitio via ad Deum certior est quam profundissima in scientias inquisitio.

Non scientiæ, profecto, sunt culpandæ, aut quæcunque simplex rei cognitio, quæ per se bonæ sunt, utpote a Deo constitutæ, attamen conscientia bona, vitaque virtutibus ornata eis anteponenda est.

Quia vero plurimi scientiis studere quam probe vivere, malunt, sæpe in errores incidunt, atque fructus pæne nullos, aut parum ferunt.

5. O si ad exstirpanda scelera et ad inserendas virtutes tanta sollertia adlaboraretur, quanta ad quæstiones proponendas, tanta mala, tantaque probra inter homines non fierent, nec morum in cœnobiis tanta dissolutio.

Quum dies iudicii advenerit, a nobis certe non quæretur quid legerimus, sed quid egerimus, nec

quam scite locuti simus, sed quam probe vixerimus.

Dic mihi, obsecro, ubi sint modo omnes illi domini atque magistri quos bene noveras dum adhuc viverent ac studiis florerent?

Iam præbendas eorum alii possident, nec scio utrum hi de illis interdum cogitent. Dum vixerunt aliquid esse videbantur, at modo siletur de illis.

6. O quam cito transit gloria mundi! Utinam vitæ cum eruditione sua concordarent; tum eos rite didicisse et legisse constaret.

Quam multi pessum eunt in hoc sæculo per vanam scientiam, qui de servitio Dei parum curant.

Qui quoniam magni quam humiles esse malunt, ideo vana sua somnia dissipantur.

Vere magnus is est, qui charitate abundat.

Vere magnus is est, qui in se pusillus est, et omne honoris fastigium pro nihilo reputat.

Vere sapiens is est, qui omnia terrena *arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat.* (Phil. III. 8.)

Revera, denique, rite doctus is est, qui voluntatem Dei adimplet, suam autem missam facit.

CAPUT IV.
DE PROVIDENTIA IN AGENDO.

1. Omni verbo fides non est habenda, nec instinctui, sed res secundum Deum caute et patienter est pensanda.

Pro dolor! tam sumus imbecilles, ut vel malum de alio sæpe facilius credamus et prædicemus quam bonum.

At viri probi garrulo cuique aures non facile præbent; haud enim sunt ignari infirmitatis humanæ, in mala proclivis, et in verbis satis labilis.

Magna est sapientia in agendo præcipitem non esse, nec in consilio proprio obstinate perseverare.

Eo quoque spectat ut quælibet hominum effata temere ne credamus, nec audita vel credita mox in aures aliorum effundamus.

Consule sapientem et virum probatæ fidei: conare potius a meliore doceri quam tua figmenta sequi.

Bona vita hominem sapientem facit secundum Deum, et peritum rerum multarum.

Quo humilior quis in se, Deoque obsequentior fuerit, eo sapientior pacatiorque in omnibus erit.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

CAPUT V.
DE LECTIONE SACRÆ SCRIPTURÆ.

1. In Litteris Sacris veritas est quærenda, non eloquentia.

Scriptura Sacra eodem animo quo concepta est legi debet.

Potius fructum in Scripturis quærere debemus quam elegantiam orationis.

Tam libenter sunt nobis libri pii ac simplices legendi quam eruditi et profundi.

Cave ne dignitas scriptoris tibi offendiculo fuerit, utrum litterarum fama clarescat an sit obscurus, sed ad legendum te semper amor veritatis moveat.

Nec quæras quis hoc dixerit, sed quid dicatur, cura.

2. Homines intereunt, *sed veritas Domini manet in æternum.* (Ps. XXXXIII. 7.)

Deus ad nos multifariam, sine delectu personarum, loquitur.

Curiositas nostra in legendo Scripturas sæpe nos impedit, quum nos ad indagandum et disputandum cogit, ubi nobis prætereundum nonnisi esset.

Si progredi cupis, legas humiliter, simpliciter atque fideliter, nec unquam nomen scientiæ memoratum habere velis.

Sciscitare libenter, et audi verba sanctorum taciturnus, nec effata seniorum tibi displiceant: non enim sine causa proferuntur.

CAPUT VI.
DE CUPIDITATIBUS ANIMI INDOMITIS.

1. Ubi quis quidpiam indomite appetit, animo conturbatur.

Superbo et avaro nulla unquam quies; pauper autem, ac spiritu humilis, abundanti pace fruitur.

Qui affectibus suis indomitis necdum est penitus mortuus, vel meris nugis tentatur et superatur.

Spiritu infirmus et quodammodo adhuc carnalis et ad palpabilia proclivis, ab appetendo materialia sese haud facile divellet.

Et ideo sese iis subducendo non raro contristatur, quin etiam ægre fert si nisui eius resistitur.

2. Quum vero quod concupiverat assecutus fuerit, conscientia eum statim reatu gravat, quod suum secutus esset impetum, qui ad pacem, quam quæsiverat, necquidquam conferret.

Vera igitur pax cordis resistendo impetui naturali invenitur, non autem ei serviendo.

Non est ergo pax in corde hominis voluptatibus dedito, nec in homine species sectanti, sed in spirituali et corde fervido.

CAPUT VII.

DE SPE VANA ET DE SUI ELATIONE FUGIENDA.

1. Vanus est is, qui spem suam in hominibus et in creaturis collocat.

Ne te pudeat ob amorem Iesu Christi aliis servitio esse, nec in hac vita pauper videri.

Noli viribus tuis propriis inniti, sed spem tuam in Deo repone.

Age pro viribus, nec Deus tibi enitenti deerit.

Cave tuæ scientiæ vel acumini cuiuscunque vivi te confidas, sed potius gratiæ Dei, qui humiles sublevat, temerarios autem reprimit.

2. Noli in divitiis, si adsint, nec in amicis, quod potentes sunt, gloriari, sed in Deo, a quo cuncta, qui et insuper semet dare dignatur.

Noli extolli corporis magnitudine aut venustate, quæ vel levi morbo confici et deturpari queunt.

Noli tibi ipsi ob habilitatem aut ingenium placere, ne Deo, ad quem cuncta spectant quidquid boni a natura perceperis, displiceas.

3. Noli te aliis meliorem reputare, ne forte coram Deo, cui quis quid valeat notum, deterior deprehendaris.

Noli benefactis tuis superbire, iudicia enim Dei a iudiciis hominum discrepant; nam quod hominibus placet, ei sæpe displicet.

Si quid boni in te sit, his meliora aliis imputes, ut humilitati tuæ consulas.

Nihil oberit si te aliis posthabeas, at multum oberit si te vel uni anteponas.

Humilibus pax est perpetua; in corde autem superbi zelotypia et indignatio est frequens.

CAPUT VIII.
DE CAVENDA NIMIA FAMILIARITATE.

1. *Non omni homini cor tuum manifestes*, sed causam tuam agas cum sapiente, et qui Deum timet. (Ecclus. VIII. 22.)

Cum iunioribus et cum ignotis rarus esto.

Divitibus adulari noli, nec societatem primorum sollicite quæras.

Socies cum humilibus ac simplicibus, cum piis ac morigeris, et *quæ ædificationis sunt* (Rom. XIV. 19.) tracta.

Familiaris nulli mulieri esto, omnes tamen bonas Deo universe commendes.

Soli Deo angelisque eius notus esse optes, notitiam autem hominum ignores.

2. Omnes quidem homines diligendi sunt, sed famliaritas promiscua non expedit.

Fit quandoque ut ignotus quis e longinquo famæ fulgore coruscet, propinquus, oculos spectantium non excœcat.

LIB. I. *De cavenda nimia familiaritate.* CAP. VIII.

Amicitia nostra aliquibus aliquando oblata placere arbitramur, mox tamen fit, ut propter mores minus probatos, qui in nobis deprehenduntur, eis displiceamus.

CAPUT IX.
DE OBEDIENTIA ET SUI SUBIECTIONE.

1. Præstantius nihil est quam obedientiæ subesse, præposito obtemperare, nec sui esse iuris.

Multo tutius est subesse quam præesse.

Obedientiæ multi subsunt magis inviti quam ex amore; hi inde dolorem percipiunt et facile obmussant.

Nec animus suus doloribus solvetur, nisi, qui propter Deum, sese toto corde subiiciant.

Incassum huc et illuc cursabis, quietem, nisi tute auctoritati superioris tui subieceris, non reperies.

Desiderium loci, somniorum imaginibus picti, atque locorum mutatio iam plurimos fefellerunt.

2. Nemo est quin consilia sua propria sequi malit, nec quin cui secum sentientes gratiores sint.

Verumtamen si intra nos Divinus afflatus est, satius nobis nonnunquam videbitur ut ab ipso nostrorum sensuum testimonio decedamus.

Quis enim est ita sapiens ut omnia funditus scire possit?

Noli ergo sensibus tuis nimis confidere, quin etiam quod aliis videtur libenter audire velis.

Si quando etiam recte de re sentias, et sententiam tuam ob amorem Dei tamen iudicio alieno subieceris, magis proficies.

3. Sæpe enim audivi illud, audire et accipere consilium securius esse quam dare.

Fieri etiam potest ut obtutus uniuscuiusque valeat, sed negare assensum, quum id ratio aut causa postulat, indicia sunt superbiæ et pertinaciæ.

CAPUT X.
DE SUI IN LOQUENDO MODERATIONE.

1. Fuge strepitum mundi quantum potes; nam optimo licet proposito negotia vitæ publicæ gesseris, impedient te admodum.

Vanitate enim facile inquinamur et mancipamur.

Utinam sæpius tacuissem, nec cum hominibus versatus fuissem.

Eccur tamen nobiscum invicem tam libenter colloquimur et fabulamur, quum ad silendum, quin conscientiam lædamus, raro revertimus.

Ideo libenter sermocinamur, quia per mutuas loquelas alter ab altero solatium cupimus impetrare, atque cor nostrum opinionum diversitate fessum optamus relevare.

Ac de his, quibus plurimum delectamur, quæque appetimus, aut quibus adversamur, disserere et cogitare nobis gratissimum est.

2. At, pro dolor! hæc sæpe frustra et perpe-

ram fiunt ; nam solatium hoc extrinsecum solatio intrinseco ac divino non modico detrimento est.

Quamobrem vigilandum nobis et orandum est, ne tempus nobis otio dilabatur.

At, si quando loquendo otiari vacat vel expedit, quæ salutaria sunt loquere.

Consuetudo prava et proficiendi incuria in causa sunt quare os nostrum non raro custodiam eludat.

Ad proficiendum tamen in spiritualibus pium ad res spirituales faciens colloquium, præsertim ubi animo ac spiritu in Deo pares sibi sociantur, iuvat.

CAPUT XI.

DE PACE CONCILIANDA ET DE STUDIO PROFICIENDI.

1. Pace abundaremus, si de dictis factisque aliorum, quæ ad nos non attinent, minus essemus solliciti.

Quî posset is pacem diu servare, qui curis alienis se immiscet, et qui dum se parum, vel raro interius colligit, occasiones exterius quærit.

Beati sunt simplices, quoniam pace abundabunt.

2. Quid quod aliqui Sancti adeo perfecti et contemplationi dediti fuerunt?

Scilicet quod cunctas cupiditates suas terrestres enecare conati sunt, et eapropter ex intimo corde Deo hærere et sibi libere vacare potuerunt.

Motibus animi nos nimium occupamur, et de caducis æquo plus sollicitamur.

Raro vel singulum vitium penitus superamus, nec accendimur ut in diem proficiamus; ideo frigidi, vel vix tepidi manemus.

3. Si ipsis nobis plane mortui essemus et intra nos minime conturbati, tum divina sapiendo pares essemus, et aliquid e contemplando cœlestia liceret nobis experiri.

Motibus tamen animi atque concupiscentiis obstricti impedimur, quominus viam Sanctorum probatam ingrediamur.

Quum enim vel modica nos adversitas affligit, protinus deiicimur, et ad consolationes humanas confugimus.

4. Si pro parte virili in prœlio perstare eniteremur, succursum profecto Domini e cœlo nobis imminere videremus.

Ipse enim certantibus suamque gratiam sperantibus opitulari paratus est, quippe qui nobis, ut vincamus, certandi occasiones parat.

Si profectum in religione in his tantum observantiis exterioribus ponimus, pietas nostra cito finem accipiet.

Sed ponamus securim ad radicem, ut purgati ab animi commotionibus, mente placida fruamur.

5. Si vel unicum quotannis vitium exstirparemus, mox perfecti evaderemus.

At nunc contrarii quid sentimus, nempe, meliores purioresque nos fuisse ubi primum converte-

bamur, quam post plures annos conversionis a nobis professæ.

Ardore ac progressu in diem augeri deberemus; at nunc aliquid magni existimatur si quis vel partem ardoris primi retinere potuerit.

Si a principio vel modicam vim nobis inferremus, cuncta facile ac læte perficere possemus.

6. Consueta dimittere arduum est, sed magis arduum est invito sibi obluctari.

Verum, si exilia et levia non vincis, quando superabis difficiliora?

Obsta propensioni tuæ in principio, et consuetudinem malam exuere disce, ne forte paulatim te ad difficultatem maiorem adducat.

O si reputares, quantam pacem tibi, aliis vero lætitiam morigerendo parares, haud dubito quin progressus spiritualis tibi magis cordi esset.

CAPUT XII.
DE UTILITATE ADVERSITATUM.

1. Quod interdum rebus adversis et tribulationibus obruimur, bene est; hæ enim hominem ad bonam frugem sæpe revocant, ut se exsulare intelligat, nec spem suam in ulla re mundana ponat.

Quod nobis quandoque contradici, quodque ut de nobis minus bene, et adverse, sentiatur, perferre debeamus, etiamsi proposita factaque optima fuerint, bene est.

Hæc enim nos ad humilitatem exercendam et ad nos contra vanam gloriam muniendos frequenter iuvant.

Tum enim Deum, testem intimi nostri conscium, ardentius quæremus, quum exterius ab hominibus convitiis lacessimur, et ab iis fides nobis negatur.

2. Eapropter deberet homo semet in Deo firmum communire, ne passim solatia humana quærere sibi necesse esset.

Quum homo bonæ voluntatis tribulatur vel tentatur, aut cogitationibus improbis infestatur, Deo se indigere clarius perspicit, quo absente nihil boni a se fieri comperitur.

Tum, propter miserias, quas patitur, mœret, gemit, et in preces effunditur.

Tum tædet quoque eum ulterius vivere, et mortem oppetere optat, ut *dissolvi, et cum Christo esse possit.* (Philipp. I. 23.)

Tum, denique, etiam intelligit securitatem ex omni parte perfectam pacemque plenam in mundo hoc consistere non posse.

CAPUT XIII.
DE RESISTENDO TENTATIONIBUS.

1. Dum in hoc mundo vivimus, tribulationes et tentationes evitare nequimus.

Unde in Iob scriptum legimus; *Tentatio est vita hominis super terram.* (Iob VII. 1.)

Ideo de tentationibus suis sollicitum quemque esse oporteret et precantes vigilare, ne diabolo, qui nunquam dormitat, *sed circuit, quærens quem devoret*, copia irretiendi concedatur. (1. Petr. V. 8.)

Nemo est tam perfectus tamque sanctus, quin aliquando tentationibus sit obnoxius, nec eas prorsus præcavere possumus.

2. Verumtamen tentationes non raro sunt homini utiles, licet sint molestæ et incommodæ; nam homo iis humiliatus purgatur et docetur.

Nulli fuerunt Sancti, quin multas tribulationes et tentationes experti sint, et tamen usque profecerunt.

Qui vero tentationibus ferendis impares deprehensi sunt, reprobati, defecerunt.

Nullus est vitæ status tam sacer, nec locus tam abditus, in quo tentationes, vel adversitates, exsistere nequeant.

3. Nemo, dum vixerit, a tentationibus ex omni parte securus exsistit; quia stimulus, unde tentatio, et unde concupiscentia, ex qua nati summus, in nobis est.

Una tentatione vel tribulatione recedente, altera supervenit, nec quod perpetiamur nobis unquam deerit; summum enim bonum, nempe felicitatis nostræ primævæ, perdidimus.

Multi quum tentationes fugere satagunt, vehementius in eas incidunt.

Per solam fugam vincere non possumus; fortiores omnibus hostibus per patientiam et veram humilitatem efficimur.

4. Qui tentationes exterius tantum flectit, nec eas radicitus evellit, parum proficiet; quinimo tentationes ad eum velocius recurrent, et eum violentius impetent.

Paulatim, per patientiam cum perseverantia, Deo iuvante, facilius vinces, quam cum duritia et importunitate tua.

Quum tentaris, cape consilium sæpius; si alius tentatur, eum dure ne tractaveris, sed ut tibi fieri optas, solatium ei subministres.

5. Initium omnium tentationum malarum inconstantia animi est et negata in Deum plena fiducia; nam quemadmodum navis gubernaculo amisso a fluctibus huc et illuc iactatur, sic homo remissus et propositi immemor, multifariam tentatur.

Ignis probat ferrum, tentatio autem hominem iustum. (Eccli. XXXI. 31.)

Sæpe nescimus quid viribus possimus, tentatio ostendit quid simus.

Vigilandum tamen est, præsertim initio tentationis; tunc enim adversarius facilius vincitur, si ostium animi intrare nullo pacto sinitur, sed ei, iam pulsanti, statim ad limen occurritur. Unde quidam monuit:

Principiis obsta, sero medicina paratur
Quum mala per longas invaluere moras. (Ov. Rem. Am. 91.)

Nam primum mera cogitatio mentem incedit, mox imaginatio inflammatur, tum demum delectatio ac motus animi improbus, ac, denique, assensus.

Sic inimicus paulatim totus ingreditur, quum illi in principio non obsistitur.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Et quanto diutius quis resistendo cunctatur, tanto idem in diem fit debilior, inimicus vero adversus eum potentior.

6. Aliqui in principio suæ conversionis tentationes graviores perferunt, alii autem in fine.

Nec desunt qui per totam fere vitam suam iisdem cruciantur.

Tentatio nonnullis lenioris est generis, secundum sapientiam et æquitatem consilii divini, quod statum meritaque hominum pensat, et ad salutem electorum suorum cuncta præstituit.

7. Ideo nihil est cur quum tentamur desperemus, imo Deum eo ardentius imploremus, ut nobis in omni tentatione adesse dignetur, qui, ut Paulus monet, utique *talem faciet cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.* (1. Cor. X. 13.)

Humiliemus ergo animas nostras *sub manu Dei* quoties tentamur et tribulamur, quia ipse humiles spiritu salvabit et exaltabit. (1. Pet. V. 6.)

8. Tentationibus ac tribulationibus probatur homo, hæ enim ostendunt quantum profecerit; in his porro superandis merita præclariora enitent et virtutes revelantur.

Nec est tanti si quis pius sit et fervore ardeat quum malis vacat, sed si tempore adversitatum se fortem præbet, progressus sperati indicium est.

Quidam a tentationibus violentis sibi cavent, ab exilioribus tamen quotidianis non raro vincuntur, ut qui in tam exiguis imbelles sunt, in magnis, humiliati, sibi non confidant.

CAPUT XIV.
DE IUDICIO TEMERARIO VITANDO.

1. Oculos tuos in te ipsum converte, aliorum autem facta iudicare cave. Homo alios iudicando opus inutile præstat: sæpius enim errat et facile peccat; at ipsum se iudicando et carpendo semper cum fructu laborat.

Prout quis de re sentit, sic eam plerumque iudicabit; studium enim privatum, iudicium, quominus verum sit, facile impedit.

Si animus noster semper vero Dei desiderio teneretur, resistentia sensuum nostrorum non tam facile perturbaremur.

2. Sed est non raro quod intra nos delitescit, vel etiam extra nos insidiatur, quod nos pari potestate in contrarium allicit.

Nec desunt qui in rebus, quas agitant, clam se ipsos suaque quærunt, quin sciant.

Sunt etiam qui dum res ad suum libitum ex sententia eveniunt, bono sunt animo; verum si

res in contrarium currunt, in animo cito commoventur et contristantur.

Ob diversitatem sententiarum et opinionum inter ipsos adeo amicos et concives, perinde atque inter religiosos ac pios, non infrequenter dissidia oriuntur.

Consuetudo inveterata non facile exuitur, nec quisquam se ultra suum placitum duci sinet.

Si plus innixus fueris rationi vel industriæ tuæ quam virtuti, quæ e Iesu Christo, subiecto et fonte, manat, vix vel nevix quidem illuminaberis; voluntas enim Dei est, ut nos ei penitus subiiciamus, et ut imperium rationis per alas flagrantis amoris transcendamus.

CAPUT XV.

DE OPERIBUS QUÆ EX CHARITATE FIUNT.

1. Gratia nullius in orbe rei, nec amore ullius hominis, quidquam mali est patrandum; sed, si quando bonum indigentis cuiusdam id exigat, opus salutare licebit deferri, aut etiam in melius commutari.

Re enim sic statuta bonum non tollitur, sed in melius mutatur.

Opus exterius sine charitate nihil prodest; quidquid autem ex charitate suscipitur, etiamsi minutisimum et spretum, fructu uberrimo non carebit.

Siquidem Deus potius pensat ex quanto amore* quis agat quam opus quod perficit.

2. Multum perficit qui multum diligit.

Multum facit qui rem bene perficit.

Bene facit is, qui communitati potius quam suæ propriæ voluntati servit.

Charitas nonnunquam videtur esse, quod potius carnalitas est; propensio enim naturalis, libitum proprium, spes retributionis, affectus commoditatis, raro abesse solent.

3. Qui vera est perfectaque charitate, in nulla rerum vicissitudine quæ sua sunt quæret, sed unam Dei gloriam in cunctis manifestam fieri conabitur.

Nec ulli invidebit, quia oblectamenta privata nulla anhelat, nec sibi ipsi complacere volet, sed præ cunctis aliis, in Deo optabit cum beatitudine lætari.

Is, nullum bonum ultra fas ulli adtribuet, sed omne id ex integro ad Deum referet, a quo, velut ex fonte, totum manat, in quo et omnes Sancti, finem assecuti, quiete perfruuntur. O si cui vel scintilla inesset charitatis, is omnia profecto terrena vanitatis plena esse perspiceret.

CAPUT XVI.

DE DEFECTIBUS ALIORUM TOLERANDIS.

1. Defectus, sive in se, sive in aliis, quibus medendis homo par non est, patienter sunt ferendi, donec Deus aliter statuat.

Perpende tecum, res sic constitutas, ad tui probationem et ad probandam tuam patientiam, forte satius esse; his enim absentibus merita nostra haud sunt tanti.

Impedimentis huiusmodi laboranti supplicandum tibi erit, ut Deus tibi adesse dignetur, ut sic mala bono animo ferre possis.

2. Si quis semel iterumque admonitus non resipiscit, cum eo verbis contendere noli, sed rem totam Deo committe, ut tam voluntas sua a cunctis servis suis agnita, tam honor prævaleat; ipsi enim notum, qui bonum e malis erui possit.

Disce aliorum defectus et quascunque infirmitates æquo animo ferre, quia nec in te desiderantur quæ ab aliis tolerari debeant.

Si tute hunc, quem optes, præstare nequeas, qui speras posse alios ad tua placita conciliare?

Alios perfectos habere libet, defectus vero proprios tamen non emendamus.

3. Alios severe correctos esse volumus, nec tamen ipsi corrigi volumus.

Licentia aliorum effusa displicet, quod tamen ipsi appetimus, nobis negatum esse nolumus.

Alios per statuta, restrictos esse cupimus, nos tamen ultro cohiberi nullo pacto patimur.

Sic ergo fit manifestum, quam raro proximos eadem qua nos ipsos trutina pensemus.

Si omnes essemus perfecti, quid superesset quod ob amorem Dei ab aliis perpeti debeamus?

4. At nunc res ita sunt a Deo constitutæ, ut *alter alterius onera portare* discere debeamus, quandoquidem nemo est defectuum immunis, nemo onerum, nemo est sibi sufficiens, nemo sibi satis sapiens; sed opus nobis est ut alter alterius onera portemus, nos invicem solemur, pari modo iuvemus, instruamus et admoneamus. (Gal. VI. 2.)

Quanta autem quis virtute sit, in rebus adversis fit manifestum.

Occasiones etenim hominem fragilem non creant, sed qualis sit, ostendunt.

CAPUT XVII.
DE VITA MONASTICA.

1. Si pacem et concordiam cum aliis servare velis, oportet ut te ipsum debellare discas.

In monasteriis, vel in hominum cœtu habitare, ibique sine querela conversari, et ad mortem usque fidelis perseverare, res modica non est.

Qui ibidem bene vixerit, et cursum feliciter consummaverit, beatus est.

Si labefactari non vis sed procedere, te tamquam exsulem et peregrinum super terram geras.

Si vis vitam religiosam ducere, oportebit ut ob amorem Christi in numero stultorum haberi patiaris.

2. Habitus ac tonsura parum conferunt; mores in melius mutati, motusque animi penitus repressi, faciunt verum religiosum.

Qui quidquam aliud quæret quam Deum solum animæque salutem, præter tribulationem ac dolorem reperiet nihil.

Pace diu non fruetur is qui minimus, et cunctis posthabitus, esse non conabitur.

3. Ad serviendum venisti, non ad regendum; te ad patiendum et laborandum vocatum esse scias, non ad otiandum vel fabulandum.

Hic ergo probantur homines, sicut aurum in fornace.

Hic nemo constabit, nisi quis se ob amorem Dei ex toto corde humiliare voluerit.

CAPUT XVIII.
DE EXEMPLIS SANCTORUM PATRUM.

1. Contemplare vivida exempla Sanctorum Patrum, qui religione veraque perfectione fulserunt, et intelliges quam sit exiguum, vel plane nihil, quod nos perficimus. Eheu! Quid est vita nostra, cum illis comparata?

Sancti, amicique Christi, sive fame et siti, frigore et nuditate oppressi, sive labore et fatigio, vigiliis et ieiuniis macerati, sive persecutione et innumeris opprobriis obruti, Domino precibus sacrisque meditationibus usque serviverunt.

2. O quam multas quamque graves tribulationes Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, reliquique omnes pertulerunt, qui vestigia Christi sequi voluerunt!

"Nam animas suas in hoc mundo oderunt, ut in æternam vitam eas possiderent." (Ioan. XII. 25.)

O quam severam austeramque vitam duxerunt Sancti Patres in eremo! quam longas et graves

tentationes pertulerunt! quam freqenter ab inimico lacessiti sunt! quam crebras et fervidas preces ad Deum fuderunt! a sensum oblectamentis quam severe abstinuerunt! quanto zelo quantoque fervore progressum spiritualem prosecuti sunt! quam sævum bellum ad evelienda vitia susceperunt! quam, demum, mentem in Deum intentam castam et rectam continuerunt!

Interdiu laboribus, noctu autem diutinis precibus vacabant, quamquam vel labori intenti a precando secum minime cessaverint.

3. Omne tempus tam utiliter impendebant, ut quæque hora ad Deo vacandum quasi iusto celerius præterlabi videretur; atque, præ summa suavitate meditationes, ipsa adeo refectionis corporalis necessitas oblivioni traderetur.

Omnibus divitiis, dignitatibus, honoribus, amicis et cognatis renuntia ant. e mundo possidere nihil cupiebant, vix vel necessaria vitæ sibi sumebant; corpori, etiam e necessitate, ægre serviebant.

Pauperes igitur erant rebus terrenis, sed admodum divites gratia et virtutibus.

Externe egebant, sed interne gratia et solatio Divino recebantur.

4. Mundo erant alieni, sed Deo proximi ac familiares amici.

Ipsis sibi velut nihil videbantur, huic autem mundo despicati, sed in oculis Dei pretiosi erant et dilecti.

Humilitatem veram exercebant, obedientes, simplicem vitam ducebant; in charitate et patientia semitas vitæ perambulabant; ideoque spiritu in diem proficiebant, et coram Deo thesauros gratiarum sibi comparaverunt.

Hi religiosis velut normæ ad imitandum præponi consueverunt, quorum exemplis nos ut proficiamus, magis moveamur oportet, quam ut relaxemur numero torpidorum permoti.

5. O quanto zelo cuncti religiosi flagrabant initio sacræ suæ institutionis!

O quæ et quales ex imo corde preces! Quæ æmulatio virtutum! Quæ disciplina viguit! Qualis quantaque reverentia et obsequium, magistris moderantibus, in cunctis eorum floruerunt!

Monumenta quæ adhuc supersunt testantur eos viros revera sanctos perfectosque fuisse, qui, acriter pugnantes, mundum sub calceos miserunt.

At his diebus, si quis sibi vel a transgressu temperet, iam magnus esse putatur, velut etiam is, qui cum patientia ferat quod sponte susceperit.

6. O desidiam negligentiamque status nostri! quod a primo fervore tam subito recedamus, quum iam præ segnitia ac torpore nos adeo vivere pigeat!

Utinam ne studium virtutum in te obdormiscat, quippe qui piorum tam multa tamque sæpe vidisses exempla.

CAPUT XIX.
DE EXERCITIIS BONI RELIGIOSI

1. Oportet ut vita boni Religiosi omnibus virtutibus polleat, ut interius talis sit qualis exterius hominibus videtur.

Quinimo multo plus nobis inesse debet quam quod extra appareat, qui enim nos inspicit Deus est, cuius reverentia, ubicumque fuerimus, præ oculis nobis sit, nec secus quam Angeli, in conspectu eius mundi incedamus.

Iuvabit proposita nostra quotidie renovare, nosque ad zelum incitare, ac si hodie primum conversi fuissemus, atque sic suspirare:

Succurre mihi Domine Deus in meo bono proposito, et in præstando tibi servitio sacro, et fac ut iam hodie id incipere queam, quod enim hactenus faceram nihil est.

2. Progressus noster fit ratione nostri propositi; qui proficere vult, vires intendat oportet.

Quodsi etiam is non raro deficit qui firmi est

propositi, quid putandum de illo, qui aut raro aliquid sibi proponit aut minus efficaciter?

Propositum autem nostrum variis modis frustratur; vix vel minimus exercitiorum neglectus fit sine quadam iactura.

Propositum iustorum gratia potius Dei quam propria sapientia nititur, in qua etiam spem collocare solent, quidquid suscipiant.

Nam homo proponit, sed Deus disponit, *nec est in homine via eius* (Ierem. X. 23.)

3. Si consuetum exercitium gratia pietatis quandoque intermittitur, aut ut commodo fratris consulatur, id alias resarciri potest.

At vero, si tædio animi, aut ex levitate, ab eo facillime decedimus, non est sine culpa atque noxa. Conemur, licet, omnibus viribus, tamen adhuc facile deficiemus in multis.

Semper tamen aliquid certi proponendum est, atque adversum ea præsertim, quæ nobis maxime obsunt.

Exterius nostrum perinde atque interius scrutandum et curandum est, quia ad progressum utrumque facit.

4. Si tu te continuo collectum servare nequis,

subinde saltem te colligas, ad minimum semel in die, nempe mane aut vesperi.

Si mane, rationem agendi tibi proponas; si vesperi, mores tuos scruteris, quemadmodum te verbis, opere ac cogitationibus gesseris; quia his, forsitan, Deum et proximum sæpius offenderas.

Adversus nequitias diabolicas pro parte virili te accingas; frena gulam, et reliquos carnis appetitus facilius frenabis.

Omnino iners nunquam esto, sed fac ut aut scribas, aut ores, aut mediteris, aut quid utile in bonum commune labores.

Exercitia tamen corporalia temerarie subeunda non sunt; nec cuique eadem suscipienda.

5. Quæ ad omnes non attinent, coram extraneos iactanda non sunt; nam quæ privata sunt, in secreto tutius exercentur.

Cavendum tamen, ne ad communia segnior, ad privata autem alacrior sis; sed officiis ac muneribus ex integro et cum fide expletis, si tibi ultra vacat, quod privata tua pietas exigit, tibi reddas.

Eadem exercitia cuique non conveniunt; sed huic unum, alteri aliud magis convenit.

Ratione quoque temporis diversa exercitia placent; quædam enim diebus festis optabiliora, alia diebus septimanæ.

Aliis indigemus tempore tentationis, iterum aliis tempore pacis et quietis.

Alia libet cogitare quum tristes sumus, alia quum, in Domino, læti sumus.

6. Festis præcipuis exercitia bona repetenda sunt, atque suffragia Sanctorum fervidius invocanda.

De festo in festum propositum statuendum est, ac si tunc sæculo hoc demigraturi et ad æternum festum transituri essemus.

Temporibus igitur pietate sacris sollicita cura nos præparemus, maiorique pietate nos geramus, atque cuncta præcepta arctiori observantia custodire ac perficere, tamquam a Deo præmium laborum brevi percepturi essemus.

7. Etiamsi finis necdum impendeat, putemus tamen nos minus bene præparatos, tantaque gloria, quæ tempore præfinito revelabitur in nobis, indignos; conemur autem nos ad exitum melius præparare.

Beatus servus, inquit Evangelista Lucas, *quem quum venerit Dominus, invenerit vigilantem. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum* (Luc. XII. 37 & 44.—Math. XXIV. 46, 47).

CAPUT XX.
DE AMORE SOLITUDINIS ET SILENTII.

1. Quære tempus aptum tibi vacando, et de beneficiis Dei frequenter cogita.

Mitte curiosa.

Res legas quæ te ad pœnitendum potius moveant, quam quæ te occupent tantum.

Si te superfluis loquelis otiosisque vagationibus subduxeris, æque ac novitatibus et rumoribus captandis, otium ad instituendum meditationes salutares aptum et uberrimum tibi suppetet.

Sanctorum maximi, quoad poterant, consortia hominum vitabant, atque Deo secrete servire sibi eligebant.

2. Hoc ab aliquo dictum tenemus: *Quoties inter homines fui, minor homo redii* (Seneca, ep. VII.). Hoc, quando diu confabulamur, sæpius experimur.

Facilius est omnino tacere, quam limites verborum non excedere.

Facilius est domi latere, quam sese foris satis custodire.

Cui ergo in animo est ad interiora ac spiritualia pervenire, eum, cum Iesu, turbam fugere oportebit.

Nemo securus in publicum prodit, nisi qui libenter latet.

Nemo securus loquitur, nisi qui libenter tacet.

Nemo securus præest, nisi qui libenter subest.

Nemo securus præcipit, nisi qui rite obedire didicit.

3. Nemo securus gaudet nisi qui pignore bonæ conscientiæ sit communitus.

Securitas tamen Sanctorum timoris Dei semper plena exstitit.

Nec eapropter, quod præclaris virtutibus gratiaque enituerunt, minus solliciti humilesque in se fuerunt.

Securitas autem sceleratorum e superbia ac præsumptione oritur, quæ denique, postremo in sui deceptionem vertitur.

Securitatem tibi hac in vita nunquam pollicearis, etiamsi cœnobita bonus aut eremita piissimus videaris.

4. Meliores æstimatione humana non raro

pericula inciderunt propter nimiam sui in se fiduciam.

Unde non paucis satius erit ut tentationibus ne omnino careant, sed sæpius impugnentur, ne nimium securi, forte in superbiam extollantur, neque ad solatia externa licentius confugiant.

O, si quis gaudium nunquam periturum quæreret, qui se negotiis mundi nunquam occuparet, quam bonam conscientiam sibi servaret!

O, si quis omnem vanam sollicitudinem resecaret, salutaria dumtaxat ac divina cogitaret, totamque spem suam in Deo poneret, quam abundanti pace et quiete frueretur!

5. Si corde tenus contritus esse vis, in cubile tuum recede, exige mundi strepitum, ut scriptum est: *In cubilibus vestris compungimini* (Ps. IV. 5.). Reperies in cella quod foris iam sæpius amiseras.

Cella, quam diu incolimus, dulcescit, male custodita, tædium parit. Si ab initio tuæ conversionis bene eam incolueris et custodiveris, postea dilecta amica tibi erit gratissimumque solatium.

6. Anima pia in silentio et quiete proficit, et abscondita Scipturarum discit.

Fluctum lacrymarum ibi invenit, quibus per singulas noctes se lavet et mundet, ut Conditori

suo tanto fiat gratior, quanto ab omni sæculi tumultu longius degit.

Adeoque, qui se e medio amicorum ac necessariorum eripit, is Deum cum Angelis sanctis sibi proximum habebit.

Satius est ut quis ignotus et obscurus maneat et quæ sua sunt curet, quam ut se posthabito, miracula patret.

Laudi est religioso si raro prodeat, se visui non offerat, nec visu aliorum delectetur.

7. Quid te iuvabit videre, quod possidere non possis? *Transit mundus et concupiscentia eius* (1. Ioan. II. 17).

Desiderium voluptatis sensuum, ut ambulatum eas te urget; hora tamen sic exacta, quid tecum reportas, nisi conscientiam tristi onere gravatam atque cor dissipatum?

Lætus exitus tristem sæpe reditum parit, atque læta vigilia serotina triste mane gignit.

Sic omne oblectamentum carnale blande intrat, sed quum discedit mordet et perimit.

Quid potes videre alibi, quod hic non vides? Ecce cœlum et terram, cunctaque elementa; nam ex his omnia coalescunt.

8. Quid potes usquam videre, quod sub sole diu subsistere possit?

Forsitan te satiari autumas, at voti compos fieri non potes.

Si cuncta coram te videres præsentia, quid ea omnia essent, nisi visio vana?

Tolle oculos tuos ad Deum in excelsis, atque veniam delictorum neglectusque ab eo efflagites.

Cede vana vanis; tu autem animum ad ea intende, quæ tibi Deus præceperat.

Quin potius ianua te occludas, Iesumque dilectum tibi invoces.

Cum eo in cella tua remoreris, alias enim tantam pacem non reperies. Sin exisses, nec quemlibet rumorem percepisses, pax tibi erepta non esset. Siquidem nova subinde audire te delectet, æquum est, ut conturbationem cordis feras.

CAPUT XXI.
DE CONTRITIONE CORDIS.

1. Si aliquid proficere vis, fac ut in timore Dei te contineas, nec libertatem ultra fas appetas; sed omnes sensus tuos disciplina coerceas, neque te ineptæ delectationi tradas.

Mœrori cordis te dedas, et pietatem invenies.

Attritio cordis multa bona profert, quæ frenis laxatis deperdi solent.

Mirum est hominem in hac vita vero gaudio frui posse, si sui exilii sit memor, tamque multa animæ suæ pericula præ oculis servet.

2. Ex levitate cordis oblitisque defectibus nostris animæ nostræ dolores non sentimus, atque sæpe inepte ridemus, quum vere ac proprie flendum nobis esset.

Nulla est vera libertas, nullum verum gaudium nisi in timore Dei, cum conscientia bona.

Felix est is, qui cunctas obices, quæ mentem

distrahunt, a se avertere potest, atque indivisa mente se ad cor atterendum colligere.

Felix est is, qui abs se abigit quidquid conscientiam suam commaculare vel gravare possit.

Certa viriliter: consuetudo consuetudine vincitur.

Si homines non molestare sciveris, et ipsi sinent ut tua negotia sine molestia facias.

3. Negotiis aliorum cave te ingeras, nec causis te potentiorum te implices.

Te ipsum semper primum sub oculis habeas, ac præ omnibus tibi dilectis, te ipsum specialiter commoneas.

Si favore hominum non gaudes, ex eo contristari noli; id potius ægre feras quod te non satis bene prudenterque geras, ut servum Dei piumque religiosum conversari deceat.

Utilius sæpe est et securius, ut solatia in hac vita, præsertim ad libitum carnis, homo pauciora habeat.

Attamen, quod divina non habemus, aut ea rarius persentiscimus, culpa nostra fit, non enim quærimus ut corde simus contriti, nec vana externaque solatia respuimus.

4. Respice te consolatione divina indignum esse, imo plurimis tribulationibus dignum.

Quum homo corde est omnino contritus, totus mundus fit ei molestus et amarus.

Quisque bonus satis causæ dolendi ac flendi reperiet.

Sive enim quis se considerat, sive proximos contemplatur, sine tribulatione hic neminem vitam degere intelligit.

Quo autem accuratius sese considerat, eo vehementius dolet.

Id autem quod dolorem iustum contritionemque internam gignit, peccata sunt ac scelera nostra, quibus sic obruti prostratique sumus, ut oculos ad cœlum levare haud quaquam valeamus.

5. Si frequentius de morte tua quam de diuturnitate vitæ cogitares, non est dubium quin magis assidue te emendares.

Si, insuper, futura sive inferorum sive purgatorii tormenta perpenderes, fore puto, ut omnem laborem doloremque libenter laturus esses, nec quidquam rigoris reformidares.

Verum quia ista cor non subeunt, blandimenta autem usque amamus, ad agendum desides non succendimur.

6. Non raro penuria spiritus laboramus, hinc corpus miserum tam facile conqueritur.

Precare igitur ad Dominum supplex, ut tibi spiritum contritionis cordis largiatur, cum Propheta dicendo: *Ciba me Domine, pane lacrymarum, et potum da mihi in lacrymis in mensura.* (Ps. LXXIX. 6.)

CAPUT XXII.

DE CONTEMPLANDO MISERIAS HUMANAS.

1. Miser es, ubicumque sis, et quocunque te vertas, nisi ad Deum conversus fueris.

Quare perturbaris, si res tibi non ex sententia, et prospere, ut cupiveras, succedant? Quis est, cui cuncta ad libitum eveniunt? Is ego non sum, nec tu, nec ullus hominum in orbe.

Nemo in mundo est sine aliqua tribulatione vel angustia, licet sit rex vel summus pontifex.

Quis est sorte felicior? Is, utique, qui causa Dei aliquid perferre valet.

2. Imbecilles iudicioque infirmi passim mihi dicunt: Ecce vita quam ex omni parte beata delectabilique homo ille fruitur! — quam est dives, quantæ dignitatis, quam potens, quam eminet!

At animadverte bona cœlestia, tum comperies cuncta hæc tempore peritura nihil esse, nec, nisi, quia incerta et dubia, gravamini sunt, nemo enim ea sine sollicitudine angoreque possidet.

Rebus caducis abundare et perfluere non est felicitas hominis ; satis est quæ sufficiunt.

Revera, miseria est vivere super terram.

Quo quis spiritu magis imbui vult, vita præsens eo fit ei amarior, quia defectus corruptelæ humanæ tanto clarius videt acriusque persentiscit.

Nam edere, bibere, vigilare, dormire, quiescere, laborare cæterisque naturæ necessitatibus subesse, certe miseria haud immodica atque afflictio pio cuique censenda est, quippe qui omni fragilitate hoc genus solutus liberque esse vellet.

3. Homo enim interior necessitatibus corporis in hoc mundo, non sine gravi dolore obsequitur.

Unde Pròpheta supplicat, ut ab his rebus ei liceat liberari, *De necessitatibus*, inquiens *meis erue Domine*. (Ps. XXIV. 17.)

Sed væ illi qui propriam suam miseriam nescit; at multo magis væ illis, qui vitam hanc miseram moribusque exitiosam et amant adeo !

Nam plurimi vitam hanc tam tenaciter amplectuntur, ut, quamquam necessaria ad vitam durissimo labore, imo et mendicando, vix comparare queant, si eis perpetuo hic vivere daretur, ne ipsum adeo regnum Dei curarent.

4. O insani et corde infideles, qui tam sint rebus terrenis mersi, ut nihil nisi carnalia sapiant!

Sed futurum est, ut miseri hi exitum amare defleant, quum intellexerint quam vile, quamque nihilum erat quod amavissent.

Sancti vero Dei, cunctique pii amici Christi, spreverunt quæ carni grata erant, quæque suo ævo floruerunt; sed tota spe sua totoque animo bona æterna anhelabant.

Desideria sua omnia sursum, ad invisibila ac permansura ferebantur, ne amore visibilium ad infima traherentur.

5. Frater mi, confidentiam tuam ad spiritualia progredi posse amittere noli; tempore adhuc horaque potiris.

Quamobrem vis propositum tuum procrastinare? Surge, rem protinus aggredere et dic: Tempus agendi nunc est; tempus pugnandi nunc est; tempus memet emendando aptum nunc est.

Tunc est tempus promerendi, quum affligeris et tribularis.

Oportet te transire per ignem et aquam, antequam venias in refrigerium (Ps. LXV. 12).

Nisi tibi vim inferas, vitium non superabis.

Quamdiu istud corpus fragile gestamus, esse sine peccato non possumus, nec vivere sine tædio ac dolore.

Quietem reperire ab omnibus miseriis nobis

gratissimum foret; sed quoniam per peccatum e statu innocentiæ excideramus, veram quoque beatitudinem deperdidimus.

Ideo oportet ut virtutem patientiæ retineamus, et misericordiam Dei exspectemus, *donec transeat iniquitas* (Ps. LVI. 2), *et hæc mortalitas absorbeatur a vita* (II. Cor. V. 4).

6. O quanta fragilitas humana, quæ ad delicta semper prona est!

Hodie peccata tua confiteris, cras autem confessa iterum perpetras.

Nunc te cauturum statuis, post horam autem agis ac si nihil statuisses.

Iure igitur humiliabimus nosmet ipsos, ut nunquam post magni nos æstimemus; siquidem tam simus fragiles et instabiles.

Etiam id potest per neglectum facile perdi quod vix per gratiam, summo labore impenso, comparaveramus.

7. Quid fiet de nobis, plane in fine, quum iam primo mane torpescimus?

Væ nobis, si ad quietem capiendam sic volumus recumbere, quasi iam pax sit et securitas, quum in conversatione nostra ne vestigium quidem sanctitatis adhuc conspiciatur!

Optandum certe esset, ut tamquam boni novitii, mores optimos de novo doceremur, si forte futura nostri emendatio, ampliorque in spiritualibus profectus sperari posset.

CAPUT XXIII.
DE MEDITANDO MORTEM.

1. Citissime hicce terrarum de te actum erit. Cæteroquin, perpende statum tuum: qui hodie adhuc homo est, cras inter nos iam non comparet.

Quum autem oculis nostris ereptus est, e mente quoque nobis cito excidit.

O hebetudinem ac duritiam cordis humani, quod præsentia nonnisi meditatur, futura vero non magis prævidet!

Sic te gerere oporteret, quidquid agas, quidquid cogites, ac si iam hodie tibi moriendum esset.

Si conscientia tibi esset bona, mortem minus timeres.

Peccata cavere satius esset quam mortem fugere.

Si hodie non es paratus, quomodo eris cras?

Dies crastinus est incertus; et qui tibi constat te crastinum diem visurum?

2. Quid prodest diu vivere, quum tam parum emendemur?

Ah, longa vita non semper emendat, sed culpam non raro magis auget.

Utinam vel unum diem in hoc mundo bene conversati essemus!

Multi sunt qui annos suæ conversionis numerant, sed fructus emendationis sæpe exiguus est.

Si mori formidolosum est, forsitan diutius vivere perniciosius erit.

Beatus est qui horam suæ mortis semper ante oculos habet, quique se ad quolibet die moriendum paratum disponit.

Si aliquando hominem mori videras, memento te quoque eandem viam ingressurum.

3. Quum est mane, puta te ad vesperam non perventurum.

Vespere autem facto, mane adventurum ne audeas tibi polliceri.

Esto ergo semper paratus, et sic vivito, ut mors te imparatum nunquam inveniat.

Multi subito et ab improviso moriuntur.

Nam *hora, qua non putatur, Filius hominis venturus est* (Matth. XXIV. 44).

Quum illa extrema hora advenerit, de tota tua vita ante acta diverso prorsus modo sentire incipies, et vehementer dolebis, quod tam incurius, tamque remissus fueris.

4. Quam felix et sapiens censendus est is, qui in vita talis esse conatur, qualem in morte eum esse oportet!

Fiduciam autem feliciter moriendi penitissimus contemptus mundi dabit, atque ardens desiderium in virtutibus proficiendi, amor disciplinæ, studium pœnitentiæ, promptitudo in obediendo, abnegatio sui, demum, fortitudo, ob amorem Christi, quascunque adversitates tolerandi.

Dum sanitate flores, plurimis bonis perficiendis par es; sed morbo fractus, nescio quid possis.

Ex ægris ad valetudinem pauci redeunt; sic etiam qui nimium peregrinantur, raro sanctificantur.

5. Amicis ac proximis inniti nolito, nec salutem tuam in futurum differto: homines enim citius quam existimaveris tui obliviscentur.

Consultius est nunc, tempestive, providere, et aliquid boni præmittere, quam in auxilio aliorum spem collocare.

Si tu de te ipso modo sollicitus non es, quis erit sollicitus de te in futuro?

Nunc tempus admodum est pretiosum. *Nunc sunt dies salutis, nunc tempus acceptabile* (II. Cor. VI. 1).

Sed, pro dolor! quod hoc non utilius impendis, ex quo, ut in æternum vivas, promereri possis!

Veniet tempus, quum ad te emendandum saltem unum diem, vel unam horam, poscas, at nescio utrum impetrare possis.

6. Eia, charissime, quanto periculo te subduces, ex quanto timore te eripies, si perpetuo meticulosus modo sis et mortem instare suspiceris!

Conare imposterum sic vivere, ut hora mortis appropinquante potius gaudere possis quam metu percelli.

Iam nunc disce mori mundo, ut tunc cum Christo vivere incipias.

Iam nunc disce omnia spernere, ut tunc ad Christum expedite pergere possis.

Corpus tuum pœnitentia iam nunc castiga, ut tunc certa fiducia fulciaris.

7. Ah, stulte! Quid putas te hic diu victurum, quum nullus dies tibi sit securus?

Quam multi sunt iam decepti, et e compagibus corporis necopinate erepti!

Quoties audivisti repetita: hunc gladio cæsum, illum aqua mersum, alium ex alto delapsum cervicem fregisse, hunc cibum deglutiendo suffocatum, demum, aliquem ludentem a morte obreptum fuisse?

Aliquis igne, alius ferro, quidam peste, item, alter latrocinio interiit; et sic omnium finis mors est, atque vita humana, velut umbra, subito evanescit.

8. Tui mortui, quis erit memor, et quis orabit pro te?

Age, age nunc, charissime, quidquid viribus valeas: quia nescis quando moriturus sis, nec quid post mortem succedat, compertum habes.

Dum adhuc per tempus licet, confla tibi divitias immortales.

Præter salutem tuam, nihil cogites; solum quæ Dei sunt, cures.

Fac nunc tibi amicos, Sanctos Dei venerando, actusque suos imitando, *ut quum defeceris in hac vita, illi te recipiant in æterna tabernacula.* (Lucæ XVI. 9).

9. Sic te geras, quasi sis hospes et peregrinus super terram, ad quem e rebus mundanis nihil spectet.

Serva cor tuum liberum, et ad Deum sursum erectum, quia non habes *hic manentem civitatem* (Hebr. XIII. 14).

Preces et gemitus quotidianos cum lacrymis illuc dirigas, ut anima tua, post mortem, ad Dominum feliciter pervenire mereatur. Amen.

CAPUT XXIV.

DE IUDICIO, DEQUE PŒNIS PECCATORUM.

1. In omnibus rebus respice finem, item, quemadmodum coram iudice austero, quem nihil latet, qui donis non placatur, nec excusationes accipit, sed ex æquo iudicabit, consistere valeas.

O miserrime et insipiens peccator! quid respondebis Deo, omnium scelerum tuorum conscio, quum vel vultus hominis iracundi, interdum, reformides?

Quare non consulis tibi pro die iudicii iam in antecessum? Tum enim copia nemini erit, ut mediante altero excusetur vel defendatur, sed quisque onus erit sufficiens sibi ipsi.

Nunc potest labor tuus esse fructuosus, fletus acceptabilis, gemitus exaudibilis, dolor satisfactorius ac purgativus.

2. Homo patiens purgatorio eximio ac salubri non caret, qui nimirum, iniuria affectus, malitiam inferentis plus quam illatam iniuriam dolet; qui

pro sibi adversantibus libenter orat noxasque condonat; qui veniam ab aliis non cunctanter petit; qui facilius miserescit quam irascitur; qui sibi ipsi sæpius vim infert, atque carnem spiritui subigere conatur.

Præstat peccata modo purgare vitiaque resecare, quam purganda in futurum reservare.

Amore immoderato, quo erga carnem ferimur, reapse nos ipsos fallimus.

3. Quid aliud ignis ille devorabit, nisi peccata tua?

Quo magis nunc tibi parcis, carnemque sequeris, eo acerbius postea lues, eoque plus sarmenti pro igne colligis.

Iis rebus homo punitur gravius, quibus deliquerat.

Desides ibi rutabulis candentibus puncti stimulabuntur, gulosi vero ingenti fame sitique cruciabuntur.

Lascivi atque voluptuosi ibidem pice ac fœtido sulphure perfundentur, invidi autem, præ dolore, veluti canes rabidi latrabunt.

4. Nullum scelus est, quod non proprio cruciatu vapulet.

Superbi, ibi omni confusione replebuntur, avari autem egestate miserrima prementur.

Una hora ibi, pœna onustior erit, quam centum anni hic sub gravissima pœnitentia exacti.

Ibi nulla requies est, nulla consolatio damnatis; at hic, quandoque, a laboribus cessatur, atque solatiis amicorum recreamur.

Esto iam nunc sollicitus de peccatis tuis eaque doleas, ut die iudicii cum beatis tutus esse possis.

" Tunc enim iusti cum magna constantia stabunt adversus eos, a quibus angustiati et oppressi fuerunt (Sap. V. 11).

Tunc assurget iudicaturus is, qui impræsentiarum sese iudiciis hominum mansuete subiicit.

Tunc pauper et humilis se magna fiducia eriget, superbus autem undique pavebit.

5. Tunc manifestum fiet sapientem in hoc mundo fuisse, qui pro Christo despici ac pro stulto haberi didicisset.

Tunc omnis tribulatio patienter perpessa delectamento erit, *et omnis iniquitas oppilabit os suum* (Ps. CVI. 42).

Tunc omnis exsultabit pius, omnis autem mœrebit impius.

Tunc caro afflicta magis exsultabit, quam si deliciis fuisset perpetuo fota.

Tunc emicabit indumentum vile, vestis autem subtilis vilescet.

Tunc gurgustium misellum plus laudabitur, quam regia auro coruscans.

Tunc patientia constans pluris erit, quam omnis mundi potentia.

Tunc plus exaltabitur simplex obedientia, quam omnis mundana astutia.

6. Tunc magis lætabitur pura bonaque conscientia, quam docta philosophia.

Tunc divitias sprevisse pondere plus valebit, quam omnis terrigenarum thesaurus.

Tunc ex piis precibus plus voluptatis percipies, quam e bellariis delicatissimis.

Tunc plus lætitiæ capies e servato silentio, quam e lepidissima confabulatione.

Tunc præstabunt opera sacra, quam verbigeratio speciosissima.

Tunc delectabilior erit vita austera pœnitentiaque rigida, quam quodcunque oblectamentum terrenum.

Disce igitur nunc pati in modicis, ut tunc te a severioribus liberare possis.

Hic primum tenta, ut videas quid postea possis.

Si nunc tam parum vales ferre, qui poteris æterna tormenta sustinere?

Si nunc motuum animi exiliorum impatiens es, qui gehenna te afficiet?

En, certe binis gaudiis potiri nequis: lætari nempe in hoc mundo, atque cum Christo regnare in altero.

7. Si ad diem usque hodiernum continuo in honoribus et voluptatibus vixisses, quid tibi totum prodesset si ictu oculi tibi moriendum esset?

Omnia igitur sunt vanitas, præterquam Deum amare, et illi soli servire.

Qui ergo Deum ex toto corde amat, nec mortem, nec supplicium, nec iudicium, nec adeo ipsum infernum verebitur: nam amor Dei perfectus accessum ad Deum tutum parat.

Quem vero peccare adhuc delectat, eundem mortem et iudicium pertimescere quis mirabitur?

Proinde bene est, ut, si quem amor Dei a malo nondum revocat, saltem formido gehennæ eum compescat.

Qui vero timorem Dei relegat, diu in bono perstare non poterit, atque diaboli laqueos ocyus incurret.

CAPUT XXV.

DE SOLERTI EMENDATIONE TOTIUS VITÆ NOSTRÆ.

1. Esto vigilans et assiduus in servitio Dei et frequenter tecum cogita: Quid venisti? et cur sæculum dereliquisti? Nonne ut Deo viveres, atque ut homo spiritualis fieres?

Igitur ad proficiendum succendaris, quia mercedem laborum tuorum brevi recipies; nec metus dolorque tunc amplius te obsidebunt.

Modicum nunc laboris sustienbis, mox post requietem, imo lætitiam perpetuam invenies.

Si tu agendo fidus et assiduus perseveraveris, Deus, sine dubio, fidelis, et retribuendo tibi munificus exsistet.

Spem firmam deponere noli, sed confide te ad palmam perventurum; certitudinem tamen cave tibi pollicearis, ne relaxeris teque efferas.

2. Quum quidam animo anxius, metum inter ac spem incertus fluctuaret, quadam vice mœrore confectus, in templo, coram ara quadam preces

fundens se prostravisset, hæc secum revolvit: O si scirem, inquit, me adhuc perseveraturum! Protinus audivit intra se responsum divinum: Quid esset tibi in animo fácere, si hoc scires? Agedum, fac nunc quod tunc facere volebas, et securitati tuæ nihil deerit.

Mox consolatus et firmatus, se voluntati divinæ commisit, quo facto, fluctuatio anxia recessit.

Dehinc, quæ futura eum manerent, scrutari non cupivit, sed intelligere, quæ esset vera propriaque voluntas Dei, satius duxit, ut omne opus suum bonum iuxta eam inciperet et consummaret.

3. *Spera in Domino, et fac bonitatem,* ait Propheta, *et inhabita terram, et pasceris in divitiis eius* (Ps. XXXVI. 3).

Unum est, quod a progressu et a solerti sui emendatione multos abstrahit: horror difficultatum, seu labor certandi.

Illi enimvero, præ cæteris, in virtutibus maxime proficiunt, qui ea, quæ sibi magis ardua, magisque adversa sunt, animo magis virili superare adnituntur.

Nam homo ibi plus proficit, amplioremque sibi gratiam conciliat, ubi certamine se ipsum superat, et motus in se rebelles enecat.

4. Sed quæ vincenda et enecanda sint, omnibus numero eadem non sunt.

Strenuus tamen bellator in proficiendo fortior erit, etiamsi plures sibi obsint sensus debellandi, quam alius, moribus præstantior, ad virtutes tamen amplectendas tardior.

Ad mores emendandos præsertim duo magnopere iuvant: nempe sui ab iis, ad quæ natura vitiose fertur, austera revocatio, atque constans boni, quo quis ultro magis indiget, appetentta.

Illa quoque enitere magis evitare aut devincere, quæ tibi in aliis potissimum displicent.

5. Undecunque initium tui progressus capias, veluti a viso vel audito præclaro virtutis exemplo, ad imitandum protinus accendaris.

Si quid autem reprehensione digni conspexeris, cave ne idem facias; aut si aliquando fecisses, te citissime emendare coneris.

Quemadmodum tu oculis cernis, sic, vicissim, tu ab aliis observaris.

Quam iucundum est suaveque fratres videre alacres ac pietati devotos, qui moribus ac disciplina clarescunt!

Quam triste dolendumque est, videre aliquos otio immoderate ambulandi deditos, qui ea ad quæ se vocatos esse arbitrantur, non exercent!

Quantum deliquium propositum suæ vocationis derelinquere, et ad ea declinare, quæ nobis commissa non sunt!

6. Propositi a te amplexi esto memor, atque imaginem Crucifixi tibi ob oculos pone.

Iuste te pudeat oportet, vitam Iesu Christi spectantem, quippe qui te illi nondum conatus sis adaptare, licet viam Dei iam pridem ingressus esses.

Religiosus, qui vitam et passionem Domini meditando se animo intento ac devoto exercet, in iis cuncta quæ sibi utilia necessariaque sunt, abundanter inveniet; nec opus est, ut extra Iesum quidquam melius quærat.

O si Iesus crucifixus in cor nostrum descenderet, quam repente quamque affatim docti essemus.

7. Religiosus, pietate fervens, cuncta quæ illi præcipiuntur, bono animo accipit et tolerat.

Religiosus deses et laxus tribulationibus obsidetur et undique angustiis affligitur, quia consolatione interna caret, externam autem quærere vetatur.

Religiosus, vitam extra disciplinam degens, perniciei gravissimæ propatulus est.

Qui laxiora quærit ac remissiora, semper angustiis cingetur, quia et unum et alterum ei displicebit.

8. Ecquomodo gerunt res alii, tam multi Religiosi, qui etiam satis coarctati sunt sub disciplina claustri?

Hi raro exeunt, reclusi vivunt, male pascuntur, rude vestiuntur, multum laborant, parum loquuntur, diu vigilant, mature surgunt, preces protrahunt, plurimum legunt, et se perpetua disciplina custodiunt.

Animadvèrte Carthusianos, Cistercienses et diversorum ordinum monachos et sanctimoniales, ut ii quavis nocte ad psallendum Domino assurgunt.

Hinc turpe esset, si tu, quum tanta Religiosorum multitudo Deo iubilare incipit, tam sacrum munus persolvere pigrareris.

9. O si nihil aliud ad agendum superesset, nisi Dominum Deum nostrum toto corde et toto ore laudare!

O si tibi nunquam edendum, bibendum, nec dormiendum esset, possesque Deum incessanter laudare, nec nisi spiritualibus studiis continenter

vacare, multo, quam nunc, esses felicior, quum ex quacunque necessitate carni servis.

Utinam necessitates istæ abessent, nec nisi refectiones exsisterent spirituales, quas tamen, eheu! bene raro degustamus.

10. Quum homo tantum perfectionis fastigium attigit, ut solatium iam a nulla creatura petat, suavitatem Dei tunc primum rite persentiscit, tunc etiam omni rerum vicissitudine contentus acquiescit.

Tunc nec magnis exsultabit, nec exiguis contristatur, sed se totum, cum omni fiducia Deo tradit, qui fit ei omne in omnibus; ei nihil perit, nec penitus moritur, sed omnia vivunt et ad nutum, incunctanter obsequuntur.

11. Memento semper finis tui, atque tempus perditum non reversurum. Sine sollicitudine ac diligentia virtutes nunquam comparabis.

Si incipis torpescere, incipies afflictari.

Si autem te alacritati dederis, pacem ubertim invenies, labor autem, ob gratiam Dei amoremque virtutum, tibi levior erit.

Homo alacer et industrius ad omnia est paratus.

Labor vitiis impetuique animi resistendi magis arduus est quam laboribus corporalibus insudare.

Qui defectus exiles non vitat, paulatim in maiores incidit.

Quum diem cum fructu expleveris, vesperi gaudebis.

Tibi ipsi invigila, incita te ipsum, hortare te ipsum, et quidquid alii patrent, te negligere noli.

Tantum proficies, quantam tibi ipsi vim intuleris. Amen.

Liber Secundus.

Monita quæ introrsum trahunt.

CAPUT I.
DE CONVERSATIONE INTERNA.

1. *Regnum Dei intra vos est.* (Luc. XVII. 21) ait Dominus. Converte te ex toto corde ad Dominum, relinque hunc mundum miserum, et anima tua requietem inveniet.

Disce exteriora spernere, teque interioribus tradere, atque regnum Dei intra te venire deprehendes.

Est enim regnum Dei pax et gaudium in Spiritu Sancto quod impio non datur (Rom. XIV. 17).

Si dignam intra te parabis mansionem, Christus ad te veniet, et tibi solatium suum ostendet.

Omnis gloria eius et decor ab intra est, et complacet sibi ibidem. (Ps. XLV. 14).

Frequens illi visitatio est apud hominem interiorem, suavis sermocinatio, grata consolatio, multa pax, familiaritas stupenda admodum.

2. Eia, anima fidelis, præpara huic sponso cor tuum, ut ad te venire, et in te habitare dignetur.

Sic enim fatur: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* (Ioan. XIV. 23).

Præbe ergo Christo locum, cæteris vero omnibus nega introitum.

Quum Christo potitus fueris, dives eris, et ipse sufficiet tibi. Ipse erit provisor tuus et procurator in omnibus fidelis, ut tibi in hominibus sperare necesse non sit.

Homines enim cito mutantur, et necopinate deficiunt; *Christus autem manet in æternum* et ad finem usque adstat firmiter (Ioan. XII. 34).

3. Fiducia nimia in homine fragili ac mortali collocanda non est, etiamsi utilis sit et dilectus, neque si subinde adversetur et contradicat, tristitia magna ex eo capienda est.

Qui hodie tibi assentiuntur, cras adversari possunt, atque, ut aura, sæpe in contrarium vertuntur.

Pone totam fiduciam tuam in Deo, et ipse sit metus et amor tuus. Ipse pro te respondebit, statuetque, ut visum fuerit, optime.

Non habes hic manentem civitatem et ubicunque fueris, extraneus es et peregrinus; nec quietem unquam habebis, nisi Christo intime fueris unitus (Hebr. XIII. 14).

4. Quid hic circumspicis? quum iste non sit locus ubi tu conquiescas.

In regnis cœlestibus esse debet habitatio tua, cuncta autem terrestria, velut in transitu constituta, respici debent.

Omnia intereunt, tu quoque pariter cum illis.

Vide, ne mundo hæreas, ne capiaris et pereas.

Sit cogitatio tua iuxta Altissimum, deprecatio autem tua sine intermissione ad Christum dirigatur.

Si celsa cœlestiaque speculari nescis, requiesce in passione Christi, in sacris eius vulneribus dege libenter.

Si enim ad vulnera pretiosaque Iesu stigmata cum pietate confugis, in tribulatione eximium assequeris munimen, nec ab hominibus despici curabis, atque convitia facile perferes.

5. Etiam Christus fuit ab hominibus despectus in hoc mundo, et in angustia extrema ab amicis et sibi notis in medio opprobriorum fuit derelictus.

Christus voluit pati et despici; et tu audes de ullo conqueri?

Christo adversarii et oblocutores non defuere, tu autem omnes homines tuos amicos ac benefactores tibi esse voles?

Si nullas adversitates experiris, unde speras ut patientia tua coronetur? Si nihil contrarii pati vis, quomodo fies amicus Christi?

Persevera cum Christo, et pro Christo, si vis regnare cum Christo.

6. Si intra Iesum, ut par est, rite penetrasses, atque vel modicum ex ardenti amore eius gustasses, proprium commodum vel incommodum minime curares, quin etiam opprobrium tibi illatum esse gauderes, quia amore Iesu fit ut homo sese spernat.

Is nonnisi qui Iesum et veritatem diligit, qui interiora tantum colit, et qui affectuum indomitorum immunis exsistit, potest se ad Deum libere convertere, se supra se levare spiritu, atque per fruendo quiescere.

7. Qui res ex æquo iudicat, ut sunt, non autem ut narrantur aut existimantur, is vere sapiens est, magisque a Deo quam ab hominibus doctus.

Qui vitæ interne ducendæ sciens est, resque præter se exigui pendere noverit, nec loca quæritabit, nec opportuna præstolabitur tempora, ubi pia sua exercitia perficere possit.

Homo interior cito se colligit, quia ad exteriora se totum nunquam effundit.

Labor exterior, aut occupatio tempore delimitata, ei non oberit, sed quemadmodum res eveniunt, illis se accommodat.

Qui secum bono animo est et rite ordinatus, spectacula se gerendi aliorum, sive mira, sive flagitiosa, minime curat.

Tantum quisque impeditur et a pietate abstrahitur, quantum se rebus ingerit.

8. Si is tu esses qui esse deberes, et omnis culpæ purus, cuncta tibi bene verterent et ad profectum cederent.

Multa tibi displicent, et sæpe perturbaris, quia nondum es affectibus tuis mortuus, nec a terrenis usquequaque segregatus.

Cor hominis nec quidquam adeo commaculat et implicat quam amor rérum creatarum incestus.

Si solatium exterius tibi non libet, licebit tibi animo cœlestia contemplari, nec raro ex intimo tuo iubilare.

CAPUT II.
DE HUMILI SUI SUBMISSIONE.

1. Quis pro te vel quis contra te sit, magni ne feceris, sed imprimis cura ut Deus, quidquid agas, in omni re tecum sit.

Sit conscientia tibi bona, tum Deus potenter te defensabit.

Quem enim Deus adiuvare voluerit, ei nequitia nullius nocere poterit.

Si pati et tacere scis, a Deo tibi subveniri sine dubio videbis.

Tempus ac modus te liberandi ipsi notum, et idcirco te ei totum cedas.

Deus enim suis subvenire, et eos ab omni confusione præservare consuevit.

Ad humilitatem accuratiorem conservandam sæpe non parum conducit defectus nostros aliis cognitos esse, et propter hos ab iis redargui.

2. Quum quis se ob defectus suos humiliter submittit, alios facilius placat, sibi iratos facilius reconciliat.

Deus humilem servat et protegit ; humilem diligit et consolatur ; ad humilem se inclinat ; humili gratias uberrimas largitur, atque eundem demissum ad gloriam sublevat.

Homini submisso arcana sua revelat, et eum ad se suaviter trahit et invitat.

Humilis confusione perculsus in pace usque impavidus perseverat, Deo enim, non autem mundo, innititur.

Necquidquam te profecisse existimes, nisi te infimum omnium esse arbitreris.

CAPUT III.
DE HOMINE BONO ET TRANQUILLO.

1. Te ipsum prius in pace custodias, tum licebit tibi alios placare.

Homo pacatus plus prodest quam doctissimus.

Præceps ingenio ipsum adeo bonum pervertit, atque malum facile credit.

Bonus atque tranquillus omnia in bonum convertit.

Qui in pace firmus consistit, suspicione nullius teneter, qui autem minus contentus est et instabilis, suspicionibus diversis exagitatur, atque nec ipse quiescit, nec alios quiescere sinit.

Dicit aliquando quod eum dicere non oportebat, infectum omittit, quod facere eum plus iuvasset.

Sollicitus est quid alios facere oporteat, quod autem sibi ad faciendum incumbit, negligit.

Sollicitare ergo de te ipso primum, tum et proximum iuste hortaberis.

2. Propria facta excusare ac colorare probe

nosti, aliorum autem excusationes accipere detrectas.

Rectius ageres si te ipsum incusares, fratrem autem tuum excusares.

Si ipse portari cupis, fac ut et tu portes alium.

Vide, quam longe adhuc a vera charitate et humilitate absis, quæ irasci et indignari, præter quam sibi, nescia est ulli.

Cum bonis et mansuetis conversari non est tanti; hoc enim cuique præcepto naturæ placet, pacem enim libenter quisque appetit, atque sententia sibi similes quisque magis amat.

Sed qui cum duris indole et maleficis, aut effrenatis, aut sibi adversantibus tranquille convivere potest, opus præstat gratiis plenum, admodum laudabile, atque virile.

3. Sunt qui se ipsos in pace servant, et cum aliis quoque in pace vivunt.

Sunt etiam, qui nec ipsi pacem habent, nec aliis pacem permittunt: hi aliis sunt molesti, sed sibi semper molestiores.

Sunt demum, qui se in pace conservant, et pacem cum aliis conciliare satagunt.

Tota tamen pax nostra in vita hac ærumnosa

potius humili toleratione nititur, quam adversa non sentiendo.

Quo magis gnarus quis sit patiendi, eo uberiori pace fruetur. Is victor est sui, dominus mundi, amicus Christi, atque heres cœli.

CAPUT IV.

DE MENTE PURA ET DE PROPOSITO SIMPLICI.

1. Homo e medio rerum terrenarum duabus alis sublevatur, simplicitate nempe ac puritate.

Simplicitas in proposito, puritas in affectione resideat, oportet. Mens simplicitate se ad Deum intendit, puritas eum assequitur et degustat.

Nulla actio bona tibi impedimento erit, modo in intimo tuo ab affectibus indomitis liber sis.

Libertate autem interna perfrueris, si tibi propositum sit id solum quærere quod Deo placeat, proximo autem tuo utile sit.

Si cor tibi saperet, omnis creatura speculum vitæ tibi esset atque liber, ex quo doctrina sacra promanet.

Nulla est creatura, nec tam minuta nec tam vilis, quæ non Dei bonitatem prædicet.

2. Si tu bono puroque esses animo, res, nulla obice impeditus, et videres et comprehenderes.

Cordi puro et gloria cœlorum, et illecebræ inferorum, patent.

Qualis quisque in intimo animo est, tali modo res extra se positas iudicat.

Quodsi ullum in mundo gaudium datur, id certe homo purus corde possidet.

Si autem usquam est tribulatio et angustia, conscientia mala maxime eius gnara est.

Sicut ferrum igni immissum ferruginem amittit, totumque fit candidum, perinde homo se ad Deum penitus convertens, torpore exuitur, et in hominem novum permutatur.

3. Quum quis tepescere incipit, laborem vel exiguum veretur, atque solatium exterius libenter accipit.

At quum iam prope est ut se penitus vincat, et in via Dei modo virili ambulet, quæ antea aspera ei videbantur, minoris reputat.

CAPUT V.
DE CONSIDERATIONE SUI.

1. Cavendum est, ne ipsi nobis ultra fas fidamus, sæpe enim gratia nobis deest et sensus.

Parum luminis inest nobis, quin et hoc, incuria, facile amittimus.

Nec raro notitiam nostram eludit, quod in intimo tam sumus cœci.

Nonnunquam male agimus, excusamus vero nos peius.

Impetu animi aliquando novemur, quem nos zelum interpretamur.

Minuta in aliis reprehendimus, nostra, graviora, præterimus.

Si quid alienæ fragilitatis nobis perferendum sit, cito persentiscimus et ponderamus, sed quantas alii a nobis perferre debeant, non animadvertimus.

Si quis suas rite et iuste ponderaret, non haberet quod in alio severius notaret.

2. Homo interior curam sui omnibus curis anteponit; qui autem se ipsum rite curat, de aliis facile tacet.

Interioribus addictus et pius nunquam eris, nisi de alienis tacueris, nec nisi ipsum te singulari modo respexeris.

Si animum in te et in Deum penitus intenderis, quod foris perceperis, parum te movebit.

Ubi es quum tibi ipsi præsto non es? Quum vero cuncta pererraveras neglecto te, quid profecisti?

Siquidem pacem unitatemque veram tecum habere debes, oportebit, ut omnia adhuc postponas, teque solum ante oculos habeas.

3. Multum proinde proficies, si te, feriatum, ab omni cura temporalium distineas.

Deficies admodum, si quid temporalium reputaveris.

Nihil sit tibi magnum, nihil altum, nihil gratum, nihilque acceptum, præterquam Deus mere, aut quod de Deo sit.

Quidquid solatii ab ulla creatura præsto sit, totum vanum existimes.

Anima, Deum amans, quidquid Deo inferius sit, universum despiciet.

Solus Deus æternus et immensus, qui omnia implet, solatium animæ est, et vera cordis lætitia.

CAPUT VI.
DE GAUDIO SUPER BONA CONSCIENTIA.

1. *Gloria boni hominis testimonium bonæ conscientiæ* (II. Cor. I. 12).

Habeto bonam conscientiam, et lætitia tibi nunquam deerit.

Bona conscientia plurima potest perferre, et in ipsis adeo rebus adversis læta admodum est.

Mala conscientia semper timida est et inquieta.

Placide requiesces, si cor tuum te non reprehenderit.

Noli lætari, nisi quum bene feceris.

Malis nunquam est vera lætitia, nec fruuntur pace interna, quia *non est pax impiis, dicit Dominus* (Is. LVII. 21.)

Et, si dixerint: *In pace sumus, non venient super nos mala, et quis nobis nocere audebit?* ne credas eis: ira enim Dei repente exsurget, et actus eorum in nihilum redigentur, *et cogitationes eorum peribunt* (Ier. V. 12. — Ps. CXLV. 4.)

2. Ei, qui amat, non est arduum in tribulatione gloriari ; sic enim gloriari, est *gloriari in cruce Domini* (Gal. VI. 14.)

Brevis est gloria quæ ab hominibus datur et accipitur.

Gloriam mundanam semper tristitia comitatur.

Gloria virorum bonorum in conscientia sua est, non autem in ore hominum.

Lætitia iustorum super Deo et in Deo est, gaudium autem suum super veritate.

Qui veram æternamque gloriam desiderat, temporalem non curat.

Qui autem gloriam temporalem concupiscit, aut eam ex animo non spernit, cœlestem minus amare convincitur.

Magna cordis tranquillitate est, qui nec laudes curat, nec vituperia.

3. Facile erit contentus et pacatus, cuius conscientia munda est.

Non es sanctior si laudaris, nec vilior si vituperaris.

Es, quod es, nec maior dici potes, quam, Deo teste, es.

Si animadvertis quid sis intra te, quid homines de te loquantur, non curabis.

Homo videt in facie, Deus autem in corde. Homo

actus respicit, Deus consilia pensat. (I. Reg. XVI. 7.)

Bene semper agere, se autem parvi æstimare, indicium est animi humilis.

Consolari nolle ab ulla creatura, puritatis insignis, internæque fiduciæ signum est.

4. Qui extrinsecus pro se testimonium nullum quærit, eum se Deo totum commisisse constat.

Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est, ait beatus Paulus, *sed quem Deus commendat* (II. Cor. X. 18.)

Versari cum Deo, interius, nec ulla affectione teneri exterius, status est hominis interioris.

CAPUT VII.
DE AMORE IESU SUPER OMNIA.

1. Beatus est qui intelligit, quid sit Iesum amare et se ipsum, propter Iesum, contemnere.

Oportet dilectum ob dilectum relinquere, quia Iesus vult solus super omnia amari.

Dilectio crèaturæ fallax est et instabilis, dilectio Iesu fidelis est et perseverans.

Qui creaturæ hæret, cum labili cadet, qui Iesum amplectitur, firmabitur in sempiternum.

Illum diligas, amicumque tibi retineas, qui, si omnes a te recedant, te non deseret, nec patietur ut postremo tu pereas.

Aliquando tandem ab omnibus te separari oportebit, sive velis, sive nolis.

2. Apud Iesum te contineas vivus an moribundus, fidelitatique eius te committas, qui, si omnes deficiant, solus te iuvare potest.

Dilectus tuus indole talis est, ut nullum æmu-

lum pati velit, sed cor tuum solus possidere cupiat, ac veluti rex, in solio proprio solus residere.

Si tu te ab omni creatura prorsus exinanire scires, Iesus deberet libenter apud te habitare.

Quidquid spei in hominibus posueris, Iesu posthabito, pæne totum deperditum deprehendes.

Ne confidas nec innitaris calamo, vento agili: quia *omnis caro fœnum, et omnis gloria eius ut flos fœni cadet* (Is. XL. 6.)

3. Si externam duntaxat speciem hominum intueberis, facile decipieris.

Si enim tuum solatium tuumque lucrum in aliis quæris, sæpius detrimentum capies.

Si Iesum in omnibus quæres, Iesum certe reperies; si autem te quæris ipsum, te etiam reperies ipsum, ad tuam tamen perniciem.

Homo enim, si Iesum non quærat, nocentior sibi est quam mundus totus, adversariique sui universi.

CAPUT VIII.
DE FAMILIARI CUM IESU AMICITIA.

1. Quando Iesus adest, bene sunt omnia, nec quidquam arduum videtur; quando vero Iesus non adest, aspera sunt omnia.

Quando Iesus in intimis non loquitur, consolatio est exilis; si autem Iesus vel unum verbum loquitur, consolatio percipitur summa.

Nonne Maria Magdalena, simul ac Martha ei dixerat: *Magister adest et vocat te*, de loco in quo fleverat, statim surrexit? (Ioan. XI. 28.)

Felix est hora, qua Iesus a lacrymis ad animi gaudium avocat!

Quam aridus et durus es sine Iesu! Quam insipiens et vanus, si extra Iesum quidpiam cupis! Nonne damnum hoc maius est, quam si totum perderes mundum?

2. Quid potest tibi mundus conferre sine Iesu?

Esse sine Iesu, dirissimus infernus est, esse vero cum Iesu, deliciæ sunt paradisi.

Si Iesus tecum est, nullus tibi nocere poterit inimicus.

Qui invenit Iesum, invenit thesaurum bonum, imo bonum supra omne bonum; qui vero perdit Iesum, perdit nimis multum, plus sane quam mundum universum.

Pauperrimus est, qui vivit sine Iesu; ditissimus est, cui bene est cum Iesu.

3. Magna est ars scire cum Iesu versari, et Iesum tenere scire, magna prudentia.

Esto humilis et pacificus, et tecum erit Iesus.

Esto pius et quietus, et tecum manebit Iesus.

Potes Iesum facile fugare gratiamque eius perdere, si ad exteriora deflectere cupiveris.

Atque si eum exegeris, et amiseris, ad quem confugies, et quem tunc quæres amicum?

Sine amico bene vivere non potes, atque si Iesus non fuerit tibi præ omnibus amicus, perquam tristis eris et desolatus.

Fatue igitur agis si fiduciam in alium aliquem collocas, aut in alio lætaris.

Præstabit ut quis totum mundum sibi adversari eligat, quam Iesum offensum.

Ex omnibus ergo tibi charis Iesus sit tibi dilectus specialis.

4. Diligantur omnes propter Iesum, Iesus autem propter se ipsum.

Solus Iesus Christus est singulari modo amandus, qui præ omnibus solus invenitur amicus bonus et fidelis.

Propter ipsum et in ipso sint tibi chari tam amici quam inimici; et pro omnibus his exorandus est, ut ipsum omnes cognoscant et diligant.

Singulari modo laudari vel amari nunquam cupias, quia hoc solius Dei est, qui similem sibi non habet.

Nec appetas ut quis in corde suo tecum occupetur, nec tu cum amore cuiuscunque occuperis, sed sit Iesus in te, atque in quovis homine probo.

5. Esto intus purus et liber, nec cum ulla creatura implicitus.

Oportet ut nudus sis, purumque cor ad Deum feras, si vacare vis et *videre, quam suavis sit Dominus* (Ps. XXXIII. 8.)

At, profecto, ad hoc non pervenies, nisi gratia eius te præcedat teque adducat, ut cunctis rebus solutus ac liber, solus cum solo uniaris.

Quum enim gratia Dei ad hominem accedit, vires ei ad omnia suppetunt; quum vero ea recedit, egenus et infirmus fis, atque, quasi ad flagella tantum servatus.

His deiici non debes neque desperare, sed in eo, quod voluntate Dei statutum est, æquo animo perstare, et cuncta quæ superveniunt tibi, ad laudem Iesu Christi perpeti: post hyemem enim æstas sequitur, post noctem redit dies, et post tempestatem læta serenitas.

CAPUT IX.
DE ABSENTIA OMNIS SOLATII.

1. Solatium humanum, quum divinum adest, contemnere arduum haud est.

Magnum, imo maximum est, tam humano quam divino solatio carere posse, et ob amorem Dei exilium cordis libenter tolerare velle, nec in ulla re sese quærere, neque merita propria respicere.

Quid magni est, si gratia adepta hilaris sis ac pius? Optabilis illa hora cunctis est.

Sat suaviter equitat is, quem gratia Dei portat.

Et quid mirum si onus non sentit, quem Omnipotens portat, et quem Ductor summus ducit?

2. Quidquid nobis solatio sit, arridet, at homo sese difficulter exuit.

Vicit mundum Sanctus Martyr, Laurentius, cum Episcopo suo, cuius ipse Diaconus exstiterat; omne enim id, quod sibi in mundo optabile videbatur, despexit, atque summum sacerdotem Dei,

Sixtum, quem maxime diligebat, sibi etiam eripi, ob amorem Christi, animo mansueto ferebat.

Amore igitur Creatoris amorem hominis superavit, atque Deo placere, quam humano solatio recreari, maluit.

Sic tu quoque discas amicum quemdam necessarium ac dilectum, ob amorem Dei, relinquere.

Nec ægre tuleris, si quando amicus te derelinquat, haud ignarus, olim fieri ut omnes nos, in vicem, separemur.

3. Multum diuque certandum est homini in se ipso, antequam sese penitus superare, totumque suum affectum ad Deum referre discat.

Quum homo sibi ipsi innititur, ad consolationes humanas facile dilabitur.

At verus amator Christi studiosusque secatator virtutum, ad consolationes non confugit, nec voluptates sensuum huiusmodi quærit, sed potius exercitationes duriores, laboresque pro Christo magis arduos suscipere conabitur.

4. Quum igitur consolatio spiritualis a Deo conceditur, cum gratiis eam accipe, sed intelligas id donum Dei esse, non tuum meritum.

Noli extolli, noli nimium lætari, nec perperam

præsumere, sed potius fac ut ob donum multo humilior fias, et in actibus tuis cunctis cautior ac verecundior, quoniam hora illa elabetur, et subsequetur tentatio.

Quum consolatio erepta fuerit, statim desperare nolito, sed cœlestem exspecta visitationem cum humalitate et patientia, par enim Deus est, qui tibi consolationem ampliorem sufficere possit.

Nec novum est hoc viam Dei expertis, neque insuetum ; exempla enim status rerum sic mutati, e vitis Sanctorum maximorum atque Prophetarum vetustatis deprompta, memoriæ haud rara produntur.

5. Quapropter, quidam, gratia iam præsente aiebat : *Ego dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum.* (Ps. XXIX. 7.)

Quid autem gratia absente expertus sit, his verbis declarat : *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* (Ps. XXIX. 8.)

Inter hæc tamen nequaquam desperat, sed Dominum instantius rogat dicendo : *Ad te Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor.* (Ps. XXIX. 11.)

Denique fructum precum suarum reportat, et se exauditum testatur, dicens : *Audivit Dominus et misertus est mei; Dominus factus est adiutor meus.* (Ps. XXIX. 11.)

Sed qua in re? *Convertisti*, inquit, *planctum meum in gaudium mihi, et circumdedisti me lætitia.* (Ps. XXIX. 12.)

Si sic summis Sanctis contigit, ne nobis quidem infirmis ac pauperibus desperandum est, si quondam calore, alias frigore premamur, quoniam spiritus accedit ac recedit, secundum suæ voluntatis decretum. Unde beatus Iob ait: *Visitas eum diluculo, et subito probas illum.* (Iob, VII. 18.)

6. De qua igitur re possum sperare, aut cui debeam confidere, nisi soli, infinitæque Dei misericordiæ, solique spei gratiæ cœlestis?

Præsto sint licet viri boni, vel mihi devoti fratres, vel amici fideles, sive libri sacri, vel tractatus iucundi, sive suaves cantus et hymni, cuncta hæc parum iuvant, parum sapiunt, quum gratia privatus sum et in propria paupertate relictus.

Tunc nullum remedium est præstantius quam patientia, atque posthabita mea voluntate, obsequium voluntati Dei tributum.

7. Nullum unquam inveni tantæ religionis ac pietatis, quin ei interdum gratia subducta fuisset, aut quin zelum sibi deminui sensisset.

Nullus fuit sanctus ad tantam celsitudinem raptus tamque illuminatus, qui non prius aut posterius tentatus fuisset.

Profunda enim Dei contemplatione nemo est dignus, qui ob Deum tribulatione aliqua exercitatus non sit.

Etenim tentatio indicium antecedens solet esse consolationis subsequentis.

Iis enim, qui tentationibus probati sunt, consolatio cœlestis promititur: *Qui vicerit*, inquit Scriptura, *dabo ei edere de ligno vitæ.* (Ap. II. 7.)

8. Datur autem consolatio divina, ut homo ad adversa perferenda fortior fiat.

Sequi etiam solet tentatio, ne quis se propter bonum efferat.

Non dormit diabolus, nec caro est adhuc mortua; ideo cave a præparando te ad certamen cesses, quia tam a dextro quam a sinistro hostes sunt, qui nunquam quiescunt.

CAPUT X.

DE ANIMO, OB GRATIAM DEI GRATO.

1. Cur quæris quietem, quum natus sis ad laborem?

Ad patientiam potius te disponas quam ad solatia, et ad baiulandum crucem, potius quam ad lætitiam.

Quis enim sæcularium consolationem ac lætitiam spiritualem non libenter acciperet, si semper adipisci posset? Spirituales enim consolationes omnes mundi delicias carnisque voluptates excedunt.

Nam deliciæ mundanæ omnes aut vanæ sunt, aut turpes; deliciæ vero spirituales solæ sunt iucundæ et honestæ, ex virtutibus progenitæ, et a Deo puris mentibus infusæ.

At divinis his consolationibus nemo semper ex sententia frui potest, tempus etenim tentationis diu non vacat.

2. Verumtamen visitationi supernæ falsa ani-

mi libertas, nimiaque sui confidentia perquam adversantur.

Deus gratiam consolationis largiendo bene agit, at homo totum Deo in acceptis, cum gratiis, non referendo, male agit.

Et eapropter donis gratiarum toti perfluere non possumus, quippe qui erga auctorem ingrati sumus, nec totum in fontem scaturiginis refundimus.

Semper enim debetur gratia gratias digne referenti, ab elato autem aufertur quod humili dari solet.

3. Noio solatium, quod mihi contritionem aufert, nec affecto contemplationem, quæ ad elationem ducit.

Non enim omne celsum sanctum, nec omne suave bonum, nec omne desiderium purum, nec omne charum Deo gratum.

Libenter accepto gratiam, ex qua semper humilior et formidolosior reperiar, atque ad me relinquendum paratior fiam.

Qui dono gratiæ sapere didicit, quique verbere ablatæ gratiæ eruditus est, quidquam boni sibi arrogare verebitur, sed se potius pauperem ac nudum confitebitur.

Da Deo quod Dei est, tibi autem adscribe quod

tuum est, hoc est: Deo gratias pro gratia tribue, culpam autem, dignamque pro culpa pœnam, tibi soli deberi autumabis. (Matth. XXII. 21.)

4. *Pone te semper ad infimum*, et dabitur tibi summum; nam summum sine infimo non consistit. (Lucæ XIV. 10.)

Summi Sancti coram Deo, apud se minimi sunt, et quanto maiori gloria clarescunt, sunt tanto in se humiliores.

Veritatis, gloriæque cœlestis pleni, gloriæ vanæ cupidi non sunt.

Fulti Deo fundamento et firmati, superbire nullo modo possunt.

Et qui totum Deo in accepta referunt, quidquid boni adepti fuerint, *gloriam ab invicem non quærunt, sed gloriam, quæ a Deo solo est*, appetunt, atque ut Deus, tam in se ipsis, quam in omnibus Sanctis laudetur, summis votis optant, et ad hoc pro viribus contendunt.

5. Esto igitur gratus etiam pro minimis, tum dignus eris, qui maiora accipias.

Etiam minimum pro maximo habeas, quin etiam quod vilius sit, velut donum speciale respicias.

Si dignitatem datoris respicias, nihil quod ab

eo detur, exile, aut nimis vile, tibi videbitur; non enim est exiguum quod a Deo summo donatur.

Etiamsi pœnas ac plagas dederit, grata nobis esse debent, quia semper in salutem nostram cedit, quidquid nobis contingere statuat.

Qui gratiam Dei retinere desiderat, sit gratus pro gratia collata, patiens de sublata. Supplicet ut ea redeat; sit cautus et humilis, ne eam amittat.

CAPUT XI.
DE PAUCITATE CRUCIS IESU AMATORUM.

1. Qui regnum suum cœleste concupiscunt temporibus nostris, Iesus habet multos, sed qui crucem suam baiulare velint, valde paucos.

Multos quoque habet qui ab eo consolari desiderent, sed paucos qui tribulari ament; plures nactus est socios mensæ, sed paucos abstinentiæ.

Omnes cupiunt cum eo gaudere, pauci volunt gratia eius aliquid molestiæ tolerare.

Multi sequuntur Iesum ad fractionem panis usque, sed pauci ad hauriendum calicem passionis usque.

Multi venerantur miracula eius, pauci sequuntur crucis ignominiam.

Multi diligunt Iesum, quamdiu adversa non contingunt.

Multi laudant illum, beneque ei dicunt, quamdiu consolationes aliquas ab eo percipiant; si vero Iesus eis se subducat, eosque paulisper relinquat, sive in querimoniam, sive vero in animi deiectionem nimiam procidunt.

2. Qui autem Iesum propter Iesum, non vero ob suam propriam quandam consolationem diligunt, ei in omni tribulatione angustiaque cordis, non secus atque in summa consolatione, benedicunt.

Atque, etiamsi eis consolationem unquam se daturum negaret, illum tamen usque laudarent, atque ei semper gratias agere vellent.

3. O quantum potest amor Iesu purus, nullo sui amore vel commodo permixtus!

Nonne, qui semper solatia quærunt, mercenarii sunt dicendi?

Nonne, qui sua semper commoda et lucra meditantur, amatores potius sui quam Christi comprobantur?

Ubi reperietur is, qui Deo gratis servire velit?

4, Raro est quis adeo spiritualis, ut rebus universis sit exutus.

Nam verum spiritu pauperem omnique re creata nudatum quis reperit? *Procul, et de ultimis finibus pretium eius.* (Prov. XXXI. 10.)

Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est. (Cant. VIII. 7.)

Atque si etiam pœnitentiam gravissimam egerit, adhuc exiguum est.

Et, si etiam omnem scientiam penitus hauserit, adhuc longe abest.

Demum, virtutibus licet præclarissimis pietateque ardentissima clarescat, sibi adhuc multum deest; unum, nempe, quod sibi necessarium est maximopere.

5. Ecquid est illud? Hoc: Ut relictis rebus cunctis, se quoque relinquat, et ex se plane excedat, et ex amore privato nihil retineat;

Et quum omnia fecerit quæ facienda esse cognovisset, se nihil fecisse existimet;

Nolit magni facere, quod etiam magni æstimari possit, sed se in veritate servum inutilem prædicet, ut veritas ait: *Quum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.* (Luc. XVII. 10.)

Tunc, denique, vere pauper spirituque nudus esse poterit, licebitque ei cum Propheta dicere: *Quia unicus et pauper sum ego.* (Ps. XXIV. 16.)

Nemo tamen illo divitior, nemo potentior, nemo liberior, qui se, omniaque relinquere novit, et se in locum infimum detrudere.

CAPUT XII.
DE REGIA VIA SANCTÆ CRUCIS.

1. Sermo hic multis durus videtur: *Abnega temet ipsum, tolle crucem tuam, et sequere Iesum.* (Luc. IX. 23.)

Sed multo durius erit verbum illud extremum audire: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* (Matth. XXV. 41.)

Qui enim modo verbum crucis libenter audiunt et sequuntur, tunc, ne damnationem æternam audiant, haud verebuntur.

Hoc signum crucis erit in cœlo, quum Dominus ad iudicandum venerit. (Matth. XXIV. 30.)

Tunç cuncti servi crucis, qui se in vita Crucifixo adaptaverunt, ad Christum iudicem magna cum fiducia accedent.

2. Quid ergo times crucem suscipere, per quam ad regnum itur?

In cruce salus, in cruce vita, in cruce contra hostes præsidium.

Per crucem infusio supernæ suavitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium animi.

In cruce summa virtutum, in cruce perfectio sanctitatis.

Non est salus animæ, nec spes vitæ æternæ, nisi in cruce.

Tolle ergo crucem tuam, et sequere Iesum, et ibis in vitam æternam.

Præcessit ille baiulans sibi crucem, mortuusque est pro te in cruce, ut et tu tuam portares crucem, et in cruce mori anhelares.

Quia si commortuus fueris, etiam cum illo pariter vives, atque, si socius fueris doloris, eris et gloriæ. (Rom. VI. 8.)

3. Ecce in cruce totum constat, et in moriendo totum situm est; nec est ad vitam et ad veram pacem internam alia via, nisi via sanctæ crucis, atque sensuum quotidianæ castigationis.

Devertas te quocunque velis, quære quidquid velis, nec reperies viam commodiorem supra, neque viam tutiorem infra, quam est via sanctæ crucis.

Disponas licet ordinesque omnia ut tibi libeat tibique videatur, nec tamen invenies nisi quod sive sponte, sive invito, aliquid perpetuo patiendum sit, proinde crucem semper invenies.

Aut enim dolore corporis affligeris, aut vero tribulationes animi intra te perferes.

4. Aliquando Deus te relinquet, alias proximus te vexabit, denique, quod plus est, tu ipse tibi molestus eris.

Nec tamen ullo remedio vel solatio liberari seu sublevari poteris, sed dum Deus sic voluerit, oportet ut sustineas.

Placet enim Deo ut tribulationem sine consolatione perferre discas, utque te illi penitus subiicias, atque per tribulationes humilior evadas.

Passionem Christi nemo tam penitus persentiscit quam is, cui similia passum esse contigerit.

Crux ergo semper parata est, et te ubique exspectat.

Quo demum cumque decurras, eam effugere non poteris ; quia quocunque eas tu, te tecum fers, et te ipsum semper invenies.

Verte te sursum, verte deorsum, verte te extrorsum, verte te introrsum: crucem ubique invenies.

Atque patientiam te ubique conservare necesse est, si pace gaudere interna, coronaque æterna potiri velis.

5. Si tu crucem libenter portas, et ea te vehet

ac ducet ad finem optatum, nempe ubi finis patiendi erit, quamquam hic, nunquam futurus sit.

Si eam invitus portas, onus tibi imponis teque ipsum eo magis gravas; et tamen necesse est ut eam sustineas.

Si abiicis unam crucem, aliam procul dubio invenies, ac forsitan graviorem.

6. Putas te evasurum, quod nullus mortalium evitare potuit? Quis Sanctorum in mundo unquam fuit sine cruce ac tribulatione?

Ne ipse adeo Iesus Christus, Dominus noster, quamdiu vixerat, vel unam horam sine dolore passionis fuit. *Oportebat*, inquit ipse, *Christum pati et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam.* (Luc. XXIV. 46.)

Ecquomodo tu aliam viam quæris quam hanc viam regiam, quæ est via sanctæ crucis?

7. Tota vita Christi crux fuit et martyrium; et tu tibi quæris requietem et gaudium?

Erras, erras, si aliud quid quæris, quam quas pati debeas, tribulationes; quia tota ista vita plena est miseriis, et crucibus undique septa.

Atque quo altius quis in spiritu profecerit, tanto graviores passim cruces inveniet: quia pœna sui exilii ratione amoris magis crescit.

8. Attamen is, qui tam multifariam affligitur, sine sublevamine consolationis non est, quoniam e doloribus crucis toleratæ fructus abundantes sibi accrescere cernet.

Nam quum sponte se illi subiicit, totum onus tribulationis in fiduciam convertitur speratæ a Deo consolationis.

Et quanto caro per afflictionem magis atteritur, spiritus per gratiam internam tanto magis roboratur.

Et, quandoque, ex adamata tribulatione et adversitate, quod similitudnem crucis Christi præ se ferrent, sic confirmatur, ut sine dolore ac tribulatione ne esse quidem vellet; siquidem tanto acceptiorem Deo se esse credit, quanto plura et graviora ob eum perferre possit.

Non est hoc virtus hominis, sed gratia Christi, quæ in carne fragili tantum potest, tantumque agit, ut quod præcepto naturæ prorsus abhorret et fugit, zelo animi aggrediatur et diligat.

9. Naturæ humanæ repugnat crucem portare, crucem amare, corpus castigare et servituti subiicere, honores fugere, contumelias libenter tolerare, ipsum se despicere ac despici optare, adversa quæque cum damnis una perpeti, et nihil prosperitatis in hoc mundo desiderare.

Si tibi ipsi inniteris, per te nihil horum poteris, sed si Domino confidis, fortitudinem e cœlo nancisceris, atque ditioni tuæ subiicientur mundus et caro.

Sed si fide armatus cruceque Christi signatus fueris, ne inimicum, diabolum, quidem timebis.

10. Accinge ergo te, velut bonus fidelisque Christi servus, ad viriliter portandum crucem Domini tui, pro te, ex amore, crucifixi.

Præpara te ad toleranda multa adversa, variaque incommoda in vita hac ærumnosa; hæc enim te manent ubicumque fueris, et res sic reapse constitutas invenies, ubicumque latueris.

Necesse est ut sic res se habeant, nec ullo remedio evitare poteris, quin a malis doloreque tribuleris; nihil ergo superest, nisi ut easdem perferas.

Calicem Domini cum affectu haurias, si amicus eius esse, et partem cum eo habere desideres.

Consolationes Deo commitas, ut quemadmodum sibi magis placuerit, de iisdem statuat.

Tu autem ad ferendas tribulationes te disponas, atque eas maximas consolationes reputes, quia *non suut condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam* promerendam, etiamsi solus posses omnes sustinere. (Rom. VIII. 18.)

11. Quum eo perveneris, ut tribulatione delecteris, eaque tibi ob Christum quasi sapida esse videatur, tunc te fortunatum existimes, quia paradisum in terra invenisti.

Quamdiu pati molestum tibi est, idque evitare conaris, tamdiu male tibi erit, teque desiderium tribulationes fugiendi ubique sequetur.

12. Si te, quo spectas, collocabis, ad patiendum nimirum et moriendum, mox melius tibi erit, et pacem invenies.

Etiamsi raptus fueris *usque ad tertium cœlum cum Paulo*, certus tamen adhuc de nullis ultro adversitatibus ferendis non es. *Ego* inquit Iesus, *ostendam illi quanta oportet eum pro nomine meo pati.* (II. Cor. XII. 2. — Act. IX. 16.)

Sors itaque patiendi te manet, si Iesum diligere, et perpetuo illi servire tibi placeat.

13. Utinam dignus esses, qui ob nomen Iesu aliquid patiaris! Quam magna te gloria maneret, quanta omnes Sanctos Dei exsultatio, quantum denique proximis esset morum incrementum.

Nam patientiam omnes quidem commendant, quamvis pauci eam tolerare velint.

Modicum ob Christum pati revera libenter deberes, quum multi, gratia mundi, graviora patiuntur.

14. Vitam moribundam te ducere oportere certo scias. Et quanto quisque secum plus moritur, tanto magis Deo vivere incipit.

Nisi quis ad ferenda ob Christum adversa se submiserit, idoneus ad cœlestia capienda nemo est.

Deo acceptius, tibi autem salubrius in mundo isto nihil est, quam passio ob Christum libenter tolerata.

Atque, si tibi eligendum esset, adversa ob Christum libenter perferre optabilius deberes iudicare, quam plurimis consolationibus recreari, quia similior esses Christo, et omnibus Sanctis conformior.

Merita etenim nostra progressusque status nostri non multis blandimentis et solatiis nituntur, sed potius magnis gravibusque tribulationibus perferendis.

15. Nam, si quid saluti hominum præstantius utiliusque fuisset quam dolores perpessi, Christus verbo et exemplo utique ostendisset.

At tam discipulos eum sequentes, quam omnes alios eum sequendi cupidos, ad crucem portandam palam hortatur, dicens: *Si quis vult venire post me, abneget semet ipsum, et tollet crucem suam et sequatur me.* (Luc. IX. 23.)

Omnibus ergo perlectis et perscrutatis, sit hæc conclusio finalis: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* (Act. XIV. 22.)

Liber Tertius.

De Consolatione Interna.

CAPUT I.
DE INTERNA CHRISTI LOCUTIONE AD ANIMAM FIDELEM.

1. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* (Ps. LXXXIV. 8.)

Beata anima, quæ Dominum in se loquentem audit, et ex ore eius verbum consolationis accipit.

Beatæ aures, quæ modulos divini susurri suscipiunt, e susurrationibus autem mundi huius nihil percipiunt.

Beatæ quinimo aures, quæ non vocem foris resonantem, sed veritatem auscultant intus docentem.

Beati oculi, qui ad exteriora clausi, ad interiora autem sunt intenti.

Beati, qui interna penetrant, et ad arcana cœlestia perspicienda, per exercitia quotidiana in diem magis se præparare enituntur.

Beati, qui Deo vacare gestiunt, seque omni impedimento sæculi eripiunt.

Animadverte hæc anima mea, atque ostia sen-

sualitatis tuæ occlude, ut quod Dominus Deus tuus intra te loquitur, audire possis.

2. Hæc dicit dilectus tuus: Salus tua ego sum, perinde ac pax tua et vita tua.

Conserva te apud me, et pacem invenies.

Caduca mitte omnia, quære æterna.

Quid sunt omnia temporalia, nisi illecebræ? Et quid iuvant omnes creaturæ, si a creatore fueris deserta?

Omnibus ergo abdicatis, fac te Creatori tuo placitam ac fidelem, ut veram queas adipisci beatitudinem.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

CAPUT II.
QUOD VERITAS, SINE VERBORUM STREPITU, INTUS LOQUATUR.

1. *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* (I. Reg. III. 9.) *Servus tuus sum ego; da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.* (Ps. CXVIII. 125.) *Inclina cor meum in verba oris tui,* fluat ut ros eloquium tuum. (Ps. CXVIII. 36.)

Dicebant olim filii Israel ad Moisen: *Loquere tu nobis, et audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* (Exod. XX. 19.)

Non sic, Domine, ego non hæc rogo, sed potius cum Samuele Propheta humiliter, et ex corde supplico: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* (I. Reg. III. 9.)

Ne Moises mihi loquatur, aut ullus ex Prophetis, sed tu potius loquere, Domine Deus, qui inspiras et illuminas omnes Prophetas; quia tu solus, sine iis, par es me imbuendo, illi vero, sine te, nihil proficient.

2. Possunt quidem verba sonare, sed spiritum non conferunt.

Pulchre dicunt, sed cor, te tacente, non accendunt.

Litteras tradunt, sed tu sensum aperis. Mysteria proferunt, sed tu sensum signorum patefacis.

Mandata produnt, sed tu ad ea exsequenda iuvas.

Viam ostendunt, sed tu ad incedendum confirmas.

Illi externe tantum agunt, sed tu corda instruis et illuminas.

Illi exterius rigant, sed tu fœcunditatem donas.

Illi clamant verbis, sed tu auditui intelligentiam tribuis.

3. Ne ergo Moises mihi loquatur, sed tu, Domine Deus mi, veritas æterna, ne forte moriar, atque fructuum expers efficiar, si externe tantum sim monitus, nec interne accensus; ne verbum auditum sed infectum, cognitum nec amatum, creditum, nec tamen servatum, iudicio mihi fiat.

Loquere, igitur *Domine, quia audit servus tuus* (I. Reg. III. 9.) *verba enim vitæ æternæ habes* (Ioan. VI. 69.)

Loquere mihi in consolationem animæ meæ qualemcunque, et in emendationem totius vitæ meæ, tibi vero in laudem et gloriam et in honorem sempiternum.

CAPUT III.

QUOD VERBA DEI CUM HUMILITATE SINT AUDIENDA, ET QUOD MULTI EA NON PERPENDANT.

1. Audi, fili, verba mea, verba suavissima, omnem scientiam philosophorum ac sapientum huius mundi excedentia.

Verba mea spiritus et vita sunt, nec humano sensu ponderanda. Non sunt ea velut sui gloriatio interpretanda, sed in silentio audienda, et cum omni humilitate atque cum cordis affectu suscipienda. (Ioan. VI. 64.)

2. Ego autem: *Beatus*, inquii *quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum, ut mitiges ei a diebus malis*, nec in terra desoletur. (Ps. XCIII. 12. 13.)

3. Ego, inquit Dominus, docui Prophetas ab initio, et usque non cesso omnibus loqui; sed dicto meo multi sunt surdi et muti.

Mundum, quam Deum, plurimi libentius audiunt; appetitum carnis, quam voluntatem Dei facilius sequuntur.

Mundus temporalia merasque nugas pollicetur, tamen cum aviditate acerrima ei servitur: ego, contra, summa et æterna polliceor, attamen corda mortalium torpescunt.

Quis mihi tanta cura servit et obedit in omnibus, quemadmodum mundo dominisque eius servitur? *Erubesce, Sidon, ait mare*, et si causam quæris, audi, quare. (Is. XXIII. 4.)

Gratia modicæ præbendæ longa via curritur; gratia vitæ æternæ pes a multis vix semel a terra levatur.

Vile pretium quæritur, de singulo nummo haud raro turpiter litigatur; nec desunt, qui ob rem vanam, promissumque minutulum die-noctuque fatigari non vereantur.

4. At, pro prudor! gratia boni immutabilis, gratia præmii inæstimabilis, gratia honoris summi gloriæque interminabilis, vel modicum fatigari pigritatur.

Erubescas ergo serve piger ac querule, quod illi ad peridítionem paratiores inveniantur, quam tu ad vitam.

Plus gaudent illi de vanitate, quam tu de veritate.

Spe equidem sua nonnunquam frustrantur, at promissis meis nemo fallitur, nec mihi confidentes vacui dimittuntur.

Quod spoponderam, præstabo; quod promiseram, servabo: dummodo quis in dilectione mei ad finem usque fidelis permansurus sit.

Ego remunerator omnium bonorum exsisto potensque omnium piorum probator.

5. Verba mea cordi tuo inscribito eaque diligenter perpendito; futurum enim est, ut tempore tentationis perquam necessaria fiant.

Quod quum legis non perspicis, die visitationis fiet tibi manifestum.

Binis modis solui electos meos visitare: tentatione nempe atque consolatione.

Binisque vicibus eis quotidie prælego: una eorum peccata increpando, altera ad augendum studium virtutum adhortando.

Qui verba mea tenet, sed spernit ea, *habet qui iudicet eum in novissimo die.* (Ioan. XII. 48.)

Oratio ad gratiam pietatis implorandam.

6. Domine Deus mi, tu es mihi cuncta bona. At quis sum ego, qui ad te loqui audeam?

Ego servus tuus sum pauperrimus, et vermiculus abiectus, multo miserior et contemptibilior quam quod effari sciam et audeam.

Memento mei tamen Domine, quamquam nihil sim, nihil habeam, nihilque valeam.

Solus tu es bonus, iustus et sanctus; tu omnia potes, omnia præstas, omnia imples, qui nihil, nisi peccatorem, inanem relinquis.

Reminiscere miserationum tuarum, et imple cor meum gratia tua, quippe qui opera tua vacua esse nolis. (Ps. XXIV. 6.)

7. Qui potero in hac vita ærumnabili ultro degere, nisi gratia ac misericordia tua me communiveris?

Noli avertere faciem tuam a me, noli visitationem tuam prolongare, noli consolationem tuam revocare, ne *anima mea sicut terra sine aqua tibi fiat.* (Ps. XXVI. 9. — Ps. CXLII. 6.)

Domine, *doce me facere voluntatem tuam*, doce me coram te digne et humiliter versari : quia sapientia mea tu es, qui me in veritate cognoscis, et antea quam mundus factus esset, et antea quam ego in mundo natus essem, cognovisti. (Ps. CXLII. 11.)

CAPUT IV.
QUOD CORAM DEO IN VERITATE ET HUMILITATE VERSANDUM SIT.

1. Fili, versare coram me in veritate, et in simplicitate cordis tui quære me semper.

Qui coram me in veritate incedit, ab impetu malorum tutus erit, et veritas eum a seductoribus, ac quominus iniqui ei maledicant, liberabit.

Quum veritas te liberabit, revera liber eris, nec vanas hominum loquelas curabis.

2. Sic res est, Domine, sicut dicis; ita, quæso, mihi fiat. Fac ut veritas tua me doceat, ipsa me tueatur, et ad finem usque salutarem me conservet.

Ipsa me liberet ab omni affectione mala amoreque immoderato; et in magna libertate cordis versabor tecum.

3. Ego, ait Veritas, quæ recta, quæque coram me placitura sunt, te docebo.

Meditare peccata tua cum displicentia vehementi ac mœrore, nec ob opera tua bona unquam reputes te quidquam esse.

Revera peccator es, et multis animi motibus obnoxius et implicatus.

Propriis viribus fultus ad nihil unquam pervenies ; facile laberis, facile vinceris, facile perturbaris, facileque everteris.

Necquidquam habes quo gloriari possis, sed multa, propter quæ te erubescere oporteat : multo enim es imbecillior quam quod perspicere possis.

4. Ex omnibus igitur quæ agis, magnum tibi nec quidquam videatur.

Nihil tibi reputatione videatur dignum, nihil pretiosum et mirificum, nihil grande, nihil excelsum, nihil vere laudabile et optabile, præter quam quod sit æternum.

Placeat tibi super omnia æterna veritas; displíceat tibi semper summa tua imbecillitas.

Nihil sic verearis, sic vituperes ac fugias, ut scelera peccataque tua ; quæ ut magis tibi displiceant quam quæcunque rerum iactura, necesse est.

Sunt qui coram me haud sinceri versantur, sed curiositate quadam et arrogantia ducti, se suaque salute posthabitis, secreta mea rescire profundaque Dei arcana perspicere conantur.

Hi propter suam superbiam et curiositatem, me eis adversante, in tentationes haud leves et in peccata, prolabuntur.

5. Time iudicia Dei, iram Omnipotentis expavesce. Noli autem opera Altissimi disquirere, sed potius tua maleficia scrutare, ut intelligas quantis deliqueris, quamque multa bona infecta neglexeris.

Non rari pietatem suam tantum in libellis secum portant, aliqui in imaginibus, alii autem, denique, in signis exterioribus ac figuris.

Nonnulli me in ore habent, sed modicum tantum mei in corde.

Sunt tamen et alii, qui intellectu illuminati, et affectibus purgati, ad æterna semper anhelant, terrena parvi pendunt, necessitatibus naturæ ægre serviunt; atque hi rite intelligunt quid spiritus veritatis eis suggerat: quippe qui eos terrena spernere, amare cœlestia, mundum ignorare, cœlum vero die-noctuque quærere doceat.

CAPUT V.
DE MIRO AFFECTU AMORIS DIVINI.

1. Benedico tibi, Pater cœlestis, Pater Domini mei Iesu Christi, quod me pauperem dignatus es recordari.

Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, gratias tibi ago, quippe qui me, omni solatio indignum, tua quandoque recreas consolatione. (II. Cor. I. 3.)

Benedicam tibi semper et gloriam tuam, Fillique tui unigeniti, atque Spiritus Sancti Paracleti, dum vivam, prædicabo.

Eia, Domine Deus, amator mei sancte, quum tu in cor meum descenderis, intima mea exsultabunt.

Tu es gloria mea, et exsultatio cordis mei. (Ps. III. 14.)

Tu spes mea *et refugium meum in die tribulationis meæ*. (Ps. III. 4.)

2. Sed quum amore adhuc debilis, virtutibus

autem imperfectus sim, necesse est ut a te communiar et consoler. Propterea, visita me sæpius, obsecro, et ad disciplinas sacras institue me.

Libera me ab immoderatis animi motibus, sanaque cor meum ab affectionibus inordinatis omnibus, ut in intimo sanatus, riteque purgatus, aptus ad amandum, fortis ad patiendum, stabilis ad perseverandum efficiar.

3. Res præclara est amor, eximium omnino bonum, qui solus efficit ut omne quod sit onerosum leve fiat, et omne quod inæquale sit, æqualiter feratur.

Amor enim onus sine onere portat, et omne quod sit amarum, dulce ac sapidum reddit.

Amor Iesu nobilis ad magna molienda impellit, et ad perfectiora passim appetenda incitat.

Amor continenter sursum tendit, nec ab ullis rebus imis deorsum trahi sinit.

Amor liber esse cupit, et ab omni mundana affectione alienus, ne aspectus eius interior impediatur, ne per commodum aliquod temporale implicationem incurrat, aut per incommodum forte succumbat.

Nihil est amore dulcius, nihil fortius, nihil excelsius, nihil amplius, nihil iucundius, nihil in cœlo et in terra plenius, nec melius; quia amor

ex Deo natus est, nec potest, nisi in Deo, ultra omnia creata requiescere.

4. Qui amat, volat, currit, et lætatur; est liber, nec tenetur. Suum libenter dispertitur omnibus, et in cunctis rebus suum omne invenit: quia in Uno summo, cuncta excedens, requiescit, ex quo Uno omne bonum fluit et procedit.

Qui amat, dona non respicit, sed, præ cunctis bonis, ad donantem se convertit.

Amor modum sæpe nescit, sed ultra omnem plane modum fervet.

Amor onus non sentit, labores non reputat, plus affectat quam valet, 'non posse' haud causatur, nam sibi cuncta posse licereque arbitratur.

Valet igitur amor ad omnia, multa persolvit effectuique dat, ubi amoris expers deficit et prosternitur.

5. Amor vigilat, nec sopitus dormit.

Lassus, amor non languet, repressus non coarctatur, perterritus non conturbatur; sed veluti flamma vivax, et facula ardens, sursum erumpit securusque evadit.

Solus, qui amat, quid vox amoris proclamet, novit.

Ardens affectus animæ, quæ sic suspirat: Deus mi, amor mi! tu totus meus es, ego autem totus tuus sum, magnus clamor est in auribus Dei.

6. Fac ut amore dilater, ut ore cordis interiore degustare discam, quam suave sit amare, et in amore liquefieri et natare.

Fac ut amore abripiar, ita ut exsuperanti fervore ac stupore me ipsum transcendam.

Fac ut canticum amoris moduler, ut te dilectum meum, in sublime prosequar, atque anima mea amore iubilans, in laude tui conficiatur.

Fac ut te plus quam ipsum me amem ; nec me ipsum amem nisi propter te, omnesque homines in te, eos, nimirum, qui te amant vere, ut norma amoris, ex te radians, postulat.

7. Est autem amor velox, sincerus, pius, iucundus et amœnus, fortis patiens, fidelis, prudens, longanimis, virilis, nec se ipsum unquam quærens.

Ubi enim quis se quærit, is ab amore recidit.

Est porro amor circumspectus, humilis et rectus, non mollis, non levis, nec rebus vanis intentus, sobrius, castus, stabilis, quietus, sese in omnibus sensuum motibus probe custodiens.

Est denique amor Præpositis rite subiectus et obtemperans, sibi ipsi abiectus et spretus, Deo devotus et animo gratus, ei confidens eumque sperans perpetuo, etiamsi cor in Deum aliquando refrigescat: sine dolore enim in amore non vivitur.

8. Qui paratus omnia pati, et ad lubitum dilecti præsto adstare non vult, qui amator appelletur dignus non est.

Amantem dura quæque et amara ob dilectum libenter amplecti oportet, nec ab eo propter casus fortuitos et adversos desciscere.

CAPUT VI.
DE PROBATIONE VERI AMATORIS.

1. Fili, fortis adhuc ac prudens amator non es.

Quare, Domine?

Quia te etiam adversitas modica a cœptis deflectit, et consolationem nimis avide quæris.

Amator fortis in tentationibus firmus perstat, nec pollicitationibus inimici callidis assentitur. Quemadmodum in rebus secundis ei placeo, sic nec in adversis ei displiceo.

2. Prudens amator non adeo donum considerat amantis, quam amorem dantis; affectum potius respicit quam sensum, et cuncta dona dilecto posthabet.

Nobilis amator dono non conquiescit, sed in me, præ omni dono.

Si quando de me, vel de Sanctis meis, minus bene senseris, ob eam rem de toto conclamatum non est.

Affectus ille mansuetus et suavis, quo interdum duceris, effectus est gratiæ præsentis, atque sa-

por prægustatus patriæ cœlestis, cui tamen ultra fas non innitendum, accedit enim et recedit.

Certare autem adversus fortuitos pravos animi motus, atque spernere suggestiones diaboli, indicium virtutis est meriti præclari.

3. Vide ergo, ne te phantasiæ alienæ, de quacunque re tibi ingestæ, perturbent.

Propositum tuum firmissimum ad Deum recte intentum, conserva.

Nec est illusio, quod aliquando subito in excessum rapiaris, atque statim ad solitas cordis ineptias revertas.

Eas enim magis invitus pateris, quam patras; et quamdiu eæ tibi displicent, iisque reniteris, meritum est, non interitus.

4. Scito inimicum omnino eniti, ne bonum appetas, atque ut te ab omni pio exercitio avocet, a cultu nempe Sanctorum, a passione mea pie recolenda, a revocando in mentem peccatorum salutari, a custodia cordis proprii, atque, demum, a proposito in virtutibus proficiendi.

Ipse multas cogitationes pravas ingerit, ut tædium et horrorem tibi facessat: eo fine, ut te a precibus sacraque lectione avocet.

Displicet ipsi humilis peccatorum confessio, atque, si par esset, faceret ut communionem sumere cessares.

Cave ei credas, neque eum cures, licet sæpius tendat tibi deceptionis laqueos.

Ipsi imputabis, quum improba et impura suggerit. Dicito illi:

Facesse, spiritus immunde, erubesce miser tu, qui auribus meis talia sufflare audes, fœdissimus es.

Abi hinc, seductor scelestissime, non habebis ex me partem ullam; Iesus erit mecum, ut pugnator acerrimus, tu autem confusus recedes.

Mori, omnesque cruciatus subire malo, quam tibi assentiri.

Tace et obmutesce, amplius te non audiam quotquot mihi moliaris molestias. *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* (Marc. IV. 39. — Ps. XXVI. 1.)

Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. — Dominus adiutor meus, et redemptor meus. (Ibid. 5. — Ps. XVIII. 15.)

5. Certa tamquam miles bonus; atque, si forte, ex fragilitate, aliquando cadas, recupera vires, prioribus firmiores, gratiæ meæ uberiori confisus, complacentiam tamen ac superbiam perquam cave.

His enim multi in errorem inducuntur, atque

in cœcitatem pæne incurabilem quandoque illabuntur.

Esto tibi ruina hæc superborum, de se stulte præsumentium, in cautelam et humilitatem perpetuam.

CAPUT VII.

DE GRATIA, SUB TUTELA HUMILITATIS OCCULTANDA.

1. Fili, satius est securiusque tibi gratiam pietatis abscondere, nec te in altum efferre, nec eam admodum ostentare, neque nimii facere, sed potius ipsum te parvi facere, atque quasi indigno largitam vereri.

Affectioni huic tenacius inhærendum non est, quandoquidem ea in contrarium mutari facillime queat.

Gratia præditus, reminiscere, quam miser et inops gratiæ expers esse solueras.

Nec est tanta res vita spirituali profecisse, quum gratiam consolationis nactus fuisses, sed quum ea subducta esset, hoc humiliter, æquo animo ac patienter tulisse, ita ut tunc a studio precandi non recessisses, nec reliqua tua opera consueta exercere prætermisisses.

Verum, ut tibi rectius et consultius visum fuerit atque viribus congruum, facias, atque ob ariditatem, seu, ob anxietatem mentis, cave te penitus negligas.

2. Multi enim sunt, qui quum consilia sua fuerint irrita, statim impatientes fiunt, aut desides.

Non enim semper *est in potestate hominis via eius*, sed Deus dare et consolari consuevit, quando vult, et quantum vult, et cui vult, prout sibi placuerit, nec amplius. (Ier. X. 23.)

Nonnulli incauti ob gratiam pietatis adeptam, se perdiderunt, quia plus quam poterant agere voluerunt, suæ imbecillitatis immemores, cordis desiderium potius quam rationis iudicium sequentes.

Et quoniam maiora præsumpserunt quam quæ Deo rata fuerunt, ideo ex gratia cito exciderunt.

Eapropter, qui sibi nidum in cœlo posuerant, in inopiam detrusi, viles relicti sunt, ut humiliati et in egestatem adducti, discerent non alis suis volare, sed spem suam in pennis meis collocare.

Qui adhuc novi sunt et viam Domini inexperti, nisi sese consilio se prudentiorum regant, facile decipi et elidi poterunt.

3. Quodsi hi suum consilium sequi malunt, quam se magis exercitatis concredere, exitus eis periculosus imminet, nisi a proposito suo decedere voluerint.

Sibi ipsis sapientes ab aliis humiliter regi raro patiuntur.

Præstat parum scire cum humilitate et intelligentia exigua, quam magni scientiarum thesauri, cum vana sui admiratione.

Præstabit tibi minus habere quam nimium, ob quod superbire posses.

Non satis caute agit qui se totum lætitiæ tradit, prioris inopiæ suæ castique timoris Domini immemor, qui gratiam sibi oblatam periclitari veretur.

Nec virtute sapientiæ pollet is, qui tempore adversitatis angustiæque cuiuslibet desperationi se tradit, atque de me minus fidenter cogitat et opinatur quam deceat.

4. Qui tempore pacis perquam securus esse cupit, tempore belli sæpe nimis deiectus et formidolosus reperitur.

Si humilis, sorteque tenuis in te permanere scires, necnon animum tuum rite moderari et regere in periculum et offensam non tam facile incideres.

Consilium bonum est, ut quum animum conceperis fervide agendi, mediteris, lumine recedente quid futurum sit.

Quod quum contigerit, perpende etiam lumen iterum reverti posse, quod in cautelam tibi, mihi autem in gloriam ad tempus revocavi.

5. Probatio hoc genus sæpe utilior est, quam si ad lubitum tuum, semper secundis fruereris rebus.

Nam merita non ex eo existimanda sunt, quod alicui plures visiones vel consolationes obtigerint, vel quod in Scripturis peritus sit, vel quod in gradum altiorem evectus sit; sed utrum vera humilitate nitatur, veraque sit charitate divina repletus; utrum Dei honorem solum, et ex integro perpetuo quærat; utrum sese pro nihilo reputet, et revera spernat, et ab aliis quoque sperni humiliarique magis quam honorari cupiat.

CAPUT VIII.

DE VILI SUI ÆSTIMATIONE CORAM DEO.

1. *Loquar ad Dominum meum, quum sim pulvis et cinis.* Si me pluris æstimo, ecce tu mihi e regione stas, atque improbitas mea testimonium contra me perhibet, nec refellere possum. (Gen. XVIII. 27.)

At, si me vilem habuero et ad nihilum detrusero, omnique æstimatione memet spoliavero, et ut par est, memet in pulverem comminuero, gratia tua mihi propitia erit, atque lumen tuum cordi proximum; tum omnis mei æstimatio, minima ut sit, a voragine inanitatis meæ absorbebitur, et peribit in æternum.

Ibi me mihi exhibebis, quid sim, quid fuerim, et quo devenerim: *quia nihil sum, et nescivi.* (Ps. LXXII. 21.)

Si mihi ipsi relinquor, ecce, nihil sum, nisi tota infirmitas; si autem oculos subito in me convertis, protinus convalesco, novoque gaudio perfluo.

Mirum tamen est admodum, ut ego, qui proprio

pondere continenter ad ima ferar, a te tam repente sublevar, et ut tu me tam benigne complectaris.

2. Hoc autem amor tuus facit, ut mihi immerito obvenias, tamque multis indigentiis meis succurras, gravia quoque pericula a me avertens, atque, ut verum fatear, ab innumeris malis me eripiens.

Enimvero insane memet amando me perdidi, sed solum te quærendo ac puro corde amando, et me et te pariter inveni, atque ex hoc amore ultro profundius me in nihilum redegi.

Quia tu, o dulcissime, ultra merita me cunctis bonis cumulas, imo ultra omne id quod unquam rogare, vel sperare ausus sim.

3. Sis, Deus mi, benedictus, quia quamquam ego nullis bonis sim dignus, tua tamen nobilitas, infinitaque in me bonitas, etiam ingratis, vel a te longe aversis, benefacere nunquam cessat.

Converte nos ad te, obsecramus, ut simus grati, humiles et pii : quia salus nostra, virtus ac fortitudo nostra tu es.

CAPUT IX.
QUOD OMNIA AD DEUM, VELUT AD FINEM ULTIMUM SINT REFERENDA.

1. Fili, si revera beatus esse optas, necesse est ut ego sim tibi finis supremus et ultimus.

Per hoc propositum affectus tuus purgabitur, ex magna parte ad se ipsum resque creatas inique flexus.

Nam si tu te ipsum in ulla re quæris, in te statim deficis et exarescis.

Omnia itaque principali modo ad me referas, ego enim sum, qui omnia dedit.

Res singulas sic respexeris, velut quæ e summo fonte bonorum manent; et eapropter cuncta bona, velut ad suam orginem, sunt referenda.

2. Ex me pusillus et magnus, pauper et dives, tamquam e fonte iugi, aquam vivam hauriunt; atque qui mihi sua sponte libereque serviunt, gratiam grati accipient.

Qui autem præter me gloriari voluerit, vel quolibet bono privato delectari, in gaudio vero non

firmabitur, nec cor sibi libere se expandet, sed multifariam impedietur et angetur.

Adeoque necquidquam boni tibi adscripseris, nec ulli homini, per se, virtutem adtribueris, sed totum Deo in accepta retuleris, sine quo homo nullius boni est compos.

Ego dedi totum, ego, vicissim cuncta mihi vindico, atque ut mihi rite gratiæ agantur, summa severitate exigo.

3. Hæc est veritas, qua vanitas gloriæ fugatur.

Atque si gratia cœlestis, veraque charitas in cor intraverit, nulla invidia idem coarctabit, neque amor privatus id occupabit.

Divina enim charitas omnia vincit, omnesque animæ vires dilatat et expandit.

Si sapis, in me solo gaudebis, me solum sperabis quia *nemo bonus nisi solus Deus*, qui ultra omnia est laudandus, cui in omnibus bene dicendum est. (Luc. XVIII. 19.)

CAPUT X.

QUOD SPRETO MUNDO, DULCE SIT SERVIRE DEO.

1. Nunc iterum loquar, Domine, nec silebo; in aures Dei mei, Domini mei, Regisque mei, qui in excelso est, dicam:

O quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Sed quid es tu te amantibus, quid toto corde tibi servientibus? (Ps. XXX. 20.)

Ineffabilis profecto est dulcedo te contemplandi, quam tu te amantibus largiris.

Dulcedinem charitatis tuæ in eo imprimis revelaveras mihi, quod quum non exsisterem, fecisses me, et quum a te longe errarem, reduxisses me, ut tibi servirem, et quod præcepisses ut te diligerem.

2. O fons amoris perpetui, quid de te prædicem?

Quomodo possem tui oblivisci, quippe qui dignatus sis mei meminisse, etiam postea quam contabueram ac periveram?

Servo tuo ultra spem misericordiam tribuisti, eique gratiam et amicitiam ultra omne meritum adhibuisti.

Quid retribuam tibi pro gratia ista? Omnibus enim datum non est, ut missis rebus cunctis, vitam mundanam relinquant, seque vitæ monasticæ devoveant.

Numquid magni est ut tibi serviam, cui omnis creatura servire tenetur?

Servire tibi, magni videri non debet, sed potius id mihi magnum ac mirum videtur, quod tu me tam miserum et indignum in servum accipere, atque dilectis servis tuis adsciscere dignaris.

3. En omnia, quæ habeo, et ex quibus tibi servitium præsto, tua sunt.

Quin contra, potius tu mihi servis, quam ego tibi.

En cœlum et terram, quæ in ministerium hominis creaveras, præsto sunt ad quotidie faciendum, quidquid mandavisses.

Nec hoc satis; quin et Angelos in ministerium hominis creasti et ordinasti.

Demum, ut fidem pæne excedere videamur, tu ipse dignatus es homini servire, atque tute ei daturum es pollicitus.

4. Quid dabo tibi pro omnibus his bonorum millibus? Utinam tibi cunctis diebus vitæ meæ servire possem!

Utinam vel unius diei digno servitio reddendo sufficerem!

Tu dignus profecto es omni servitio, omni honore, laudeque æterna.

Tu dominus meus es revera, ego autem servus tuus miser, cuius est tibi servire omnibus viribus, et a te laudando nunquam desistere.

Saltem sic volo, et sic desidero, si quid tamen mihi in exsequendo defuerit, tu supplere digneris.

5. Tibi servire causaque tui cuncta spernere, magnus est honor et summa gloria.

Qui se sacratissimæ servituti tuæ sua sponte subiicient, gratia tua perfluent.

Qui amore tuo succensi oblectamenta carnis respuunt, solatio Spiritus Sancti suavissimo reficiuntur.

Qui gratia nominis tui viam salutis arctam ingrediuntur, omnemque curam mundanam deponent, libertatem mentis amplissimam consequentur.

6. O gratam iucundamque Dei servitutem, per quam homo vere liber vereque sanctus fit!

O sacrum famulatum status Religiosi, quo homo Angelis æqualis, Deo placens, dæmonibus terribilis, cunctis autem fidelibus commendabilis efficitur!

O amplectendum semperque exoptandum servitium, quo summum bonum promeretur, et gaudium sine fine permansurum acquiritur!

CAPUT XI.

QUOD DESIDERIA CORDIS EXAMINANDA SINT, AC TEMPERANDA.

1. Fili, necesse est, ut multa, quæ nondum rite didicisses, adhuc addiscas.

Quæ sunt ea, Domine?

Hæc: Ut appetitus tuos secundum voluntatem meam dirigas, ut amori tui modereris, et quidquid me velle intellexeris, sollicitus implere satagas.

Cupiditates te non raro incendunt, et vehementer impellunt: sed considera, utrum bono honoris mei, an potius bono commodi tui, movearis.

Si gratia mei agis, quidquid statuero, contentissimus eris; si quid autem emolumenti quæstusque tui sublateat, id in causa erit quare impediaris et graveris.

2. Cave igitur, ne, me inconsulto, præconcepto desiderio tuo iusto plus innitaris, ne te postea pœniteat, aut tibi displiceat quod antea placuerit, et ac si prius zelo rei præstantioris actus fuisses.

Non enim omnis affectio quæ bona videtur, est etiam statim prosequenda, nec, contra, quævis affectio adversa iam in antecessum fugienda.

Expedit interdum, etiam si studia desideriaque optima fuerint, frena iniicere, ne impetu immoderato mens tua a proposito distrahatur, atque disciplinæ impatiens, aliis ansam dare posses scandali, aut vero aliis tibi obnitentibus subito perturberis ac collabaris.

3. Interdum ut adeo violentia utaris necesse erit atque ut appetitui sensuum modo virili resistas, nec, quid caro velit vel nolit, curare, sed potius tanto magis adniti, ut ea, etiam invita, imperio rationis substernatur.

Atque caro tamdiu est castigatione domanda et servitute premenda, donec omnia prona subeat, paucis rebus contenta esse et simplicibus delectari discat, nec contra id, quod ei ingratum videri possit, rebellare audeat.

CAPUT XII.

DE FORMANDO IN HABITUM PATIENDI, ET DE LUCTAMINE ADVERSUS CONCUPISCENTIAS.

1. Domine Deus, ut mihi palam est, patientia admodum egeo: in vita enim hac permulta adverse eveniunt.

Quidquid enim de pace mea statuam, vita mea bellum ac dolorem evitare nullo pacto potest.

2. Sane, ita est, fili! At te non id genus pacem quærere volo, quæ tentationibus careat, aut quæ adversitatibus obnoxia non sit.

Verum, ut etiam tunc pacem te invenisse arbitreris quum variis tribulationibus obsessus, plurimisque rebus adversis probatus fueris.

Si dicas te multa tolerare non posse, qui, obsecro, eris ignem purgatorii perlaturus?

E duobus malis semper minus est eligendum.

Ut ergo æterna supplicia futura evitare queas, conare mala præsentia propter Deum, æquo animo tolerare.

An forte putas homines sæculi huius nihil, vel parum perpeti? Nec hoc verum deprehendes, vel si delicatissimos eorum exquisiveris.

3. At, vicissim, multis oblectamentis recreantur, et etiam fas est eis propriam sequi voluntatem, quare et suas tribulationes parum ponderant.

4. Demus, sit ita, ut quidquid libeat habeant; sed quamdiu, putas, id durabit?

Hem, ut fumus dissipabuntur, qui in sæculo bonis affluunt, nec voluptatum præteritarum ulla supererit recordatio.

Quin, ne dum vivunt quidem iis sine amaritudine tædio ac timore frui datum est.

Ex eadem namque re ex qua oblectamenta percipiunt, doloris quoque aculeos non infrequenter persentiscunt.

Nec immerito; nam qui oblectamenta immoderata quærunt et sectantur, sibi iis non sine confusione et amaritudine expleri, æquum est.

O quam brevia, quam falsa, quam immoderata, quamque turpia ea sunt omnia.

Verumtamen præ ebrietate et cœcitate non intelligunt, sed ut mutæ belluæ, ob modicum delectamentum vitæ corruptibilis, mortem incurrunt animæ.

Tu ergo, fili, *post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere.* (Eccl. XVIII. 30.)

Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. (Ps. XXXVI. 4.)

5. At, si vere delectari et a me ubertim consolari cupis, beatitudo tua in contemptu sita erit cunctarum rerum sæculi, atque in resecando delectamenta inepta: tum enim copiosa tibi concedetur consolatio.

Atque quo magis te solatio, a qualibet re creata emananti, subduxeris, eo suaviores efficaciosque consolationes in me reperies.

Ad has tamen, quin tristitia quadam laboreque certaminis prius graveris, haud pervenies.

Mores assueti obstabunt, sed usus et consuetudo melior eos superabunt.

Rebellabit caro, sed ardor animi eam frenabit.

Coluber vetus te instigabit teque exacerbabit, qui tamen precibus fugabitur; insuper, labore assiduo etiam aditus hians ei obserabitur.

CAPUT XIII.

DE OBEDIENTIA SUBIECTI HUMILIS AD EXEMPLUM IESU CHRISTI.

1. Fili, qui se obedientiæ subducere conatur, gratiæ se subducit, qui vero privata quærit, amittit communia.

Qui suo præposito nec sua sponte nec libenter se subdit, indicium prodit carnem suam sibi non penitus obtemperare, sed subinde rebellare ac reluctari.

Disce igitur præposito tuo te incunctanter subiicere, si carnem tuam propriam subiugare cupias.

Inimicus namque exterior facilius vincitur, si homo interior detritus non sit.

Hostis animæ molestior peiorque non est, quam tu ipse tibi, ab animo tuo dissidens.

Si carni sanguinique virtute præstare velis, tu te vere spretum habere minime dubites.

Quoniam tu te adhuc ultra modum diligis, voluntati aliorum te subiicere totum trepidas.

2. Sed quid magni, si tu, qui pulvis et nihil es, homini, propter Deum, te subdis, quum ego, Omnipotens, et Altissimus, qui cuncta e nihilo creaveram, me homini, propter te, humiliter subieci?

Factus sum omnium humillimus et infimus, ut tuam superbiam mea humilitate vinceres.

Disce, o pulvis, obsequi! disce, o hume et lime, te demittere, teque sub pedibus omnium inflectere; disce voluntatem tuam infringere, teque omni subiectioni dedere.

3. Fac ut in te ipsum exardescas, nec tumorem animi in te esse patiaris, sed te sic subiectum exilemque exhibeas, quasi omnes pedibus te calcare, ac veluti lutum in via, conculcare possint.

Quid est, o homo vacue, de quo conqueraris?

Quid potes, o peccator fœde, qui Deum toties offendisses, quique inferos multoties meruisses, te reprehendentibus obloqui?

Sed oculus meus tibi pepercit, quia anima tua coram me pretiosa fuit, ut amorem meum agnosceres, ac pro benefactis meis semper gratus exsisteres, utque te vere subiiceres et humilitati perpetuo traderes, atque te ab ipso te sperni patienter ferres.

CAPUT XIV.

DE OCCULTIS IUDICIIS DEI CONSIDERANDIS, NE REBUS SECUNDIS ABRIPIAMUR.

1. Intonas super me iudicia tua, Domine, atque timore ac tremore percellis ossa mea cuncta ; et in animo valde expavesco.

Attonitus consisto et mecum meditor, quod *cœli non sunt mundi in conspectu tuo*. (Iob XV. 15).

Si in Angelis reperisti pravitatem, nec tamen pepercisti, quid de me fiet? (Iob IV. 18.)

Ceciderunt stellæ de cœlo, quid tum ego pulvis præsumo? (Apoc, VI. 13.)

Quorum opera laudabilia videbantur, ad ima prociderunt, atque, qui pane vescebantur Angelorum, eos vidi colluvie suum delectari.

2. Nulla est ergo sanctitas, manum si tuam, Domine, retrahas.

Nulla prodest sapientia, si tu a gubernando desistas ; nulla iuvat fortitudo, si tu nos conservare desinas ; nulla secura castitas, eam si tu non

protegas ; nulla sui prodest custodia, si tua sacra desit vigilantia.

Nam nobis relicti mergimur et perimus, a te autem visitati erigimur et vigemus.

Instabiles quippe sumus, sed per te confirmamur ; refrigescimus, sed a te accendimur.

3. O quantuli, quamque exilem me æstimare debeam. Atque si quid boni mihi inesse arbitrer, quam nihili debeam id facere !

O ad quæ ima mihi descendendum est, velut in abyssum, sub iudiciis tuis, Domine, ubi me aliud nihil esse comperior, quam nihil, iterumque nihil !

O pondus immensum, o pelagus, quod transfretari non possit, ubi de me nihil reperio, omnino nihil !

Ubi est ergo latebra gloriæ ? Ubi est confidentia propriæ virtuti innixa ?

Omnis gloriatio vana in profundo absorpta est iudiciorum supra me.

4. Quid est omnis caro in conspectu tuo ? *Num quid gloriabitur lutum contra formantem se ?* (Is. XXIX. 16.)

Quomodo potest se vaniloquio erigere is, cuius cor, in veritate, Deo est subiectum ?

Quem véritas sibi subiecit, ne totus quidem mundus eriget, nec ore omnium laudatorum movebitur, cuius spes omnis Deo nititur.

Nam et ipsi, eheu! qui loquuntur, omnes nihil sunt; cum sonitu enim verborum intereunt. *Veritas autem Domini manet in æternum* (Ps. CXVI. 2.)

CAPUT XV.

QUEMADMODUM NOS SISTAMUS, QUIDQUE DICAMUS, QUUM QUID APPETIMUS.

1. Fili, in qualibet vicissitudine sic faberis: Si sic tibi placeat, Domine, sic de me statuas.

Si honore tuo hoc cedat, Domine, fiat in nomine tuo.

Si hoc bono meo fieri, mihique utile esse iudicas, Domine, fac ut eo in honorem tuum utar.

Sed si mihi nocivum fore cognoscis, nec saluti animæ meæ profuturum, aufer a me desiderium id genus.

Non enim est omne desiderium a Spiritu Sancto, etiamsi homini rectum bonumque videatur.

Arduum est recte iudicare, utrum ad appetendum hoc vel illud a spiritu bono an a nequam impellaris, an utrum etiam a spiritu proprio movearis.

Non pauci in fine decepti deprehenduntur, qui primo a spiritu probo ducti fuisse videbantur.

2. Quidquid igitur menti, ut optabile, incidit, semper cum timore Dei, et cum humilitate cordis est desiderandum et petendum, atque totum plena cum sui deditione, mihi est committendum, dicendo:

Domine, quid æquum bonumque sit, nosti; fiat mihi ut tibi visum fuerit.

Præsta quod velis, quantum velis, et quando velis.

Fac mihi ut tibi libeat, quod tibi acceptius fuerit, atque quod magis tuo honori cedat.

Pone me quocunque velis, statuasque de me semper ad libitum.

Sum in manu tua, versa reversaque me in gyrum.

En me servum tuum, nunquam non paratum ad omnia; nolo mei, sed tui causa vivere. Utinam digne et perfecte!

Preces, ut quod Deo placeat, fiat.

3. Concede mihi, Iesu benignissime, gratiam tuam, *ut mecum sit et mecum laboret*, atque ut ad finem usque mecum perseveret. (Sap. IX. 10.)

Da mihi, ut id semper desiderem et velim, quod tibi magis acceptabile sit, magisque charum.

Da ut voluntas tua mea sit, mea autem voluntas tuam passim sequatur, eique apprime congruat.

Da ut mihi tecum unum sit velle ac nolle, ut aliud nec possim velle ac nolle, quam quod tu velis aut nolis.

4. Da mihi, ut cunctis in mundo rebus moriar, atque, ut propter te contemni ac nesciri in isto sæculo mihi libeat.

Da mihi, præ omnibus quæ sunt optabilia, in te requiescere, et ut cor meum in te pacem reperiat.

Tu es pax cordis vera, tu es sola requies; præter te cuncta aspera sunt et turbulenta. In hac *pace in id ipsum*, hoc est, in te Uno summo, æterno bono, *dormiam et requiescam*. Amen. (Ps. IV. 9.)

CAPUT XVI.
QUOD VERUM SOLATIUM IN SOLO DEO SIT QUÆRENDUM.

1. Quidquid in solatium meum exoptare aut cogitare possum, nec hic nec nunc exspecto, sed imposterum.

Quodsi cuncta solatia mundi tenerem, atque si omnibus voluptatibus frui possem, certum est ea diu duratura non fore.

Quapropter, o anima mea, nec rite consolari nec penitus recreari poteris, præterquam in Deo qui consolator pauperum exsistit, quique humiles suscipere consuevit.

Exspecta paucillum, o anima mea, exspecta divinum promissum, et mox afflues cunctis bonis in cœlo.

Si hæc iusto vehementius appetis præsentia, perdes æterna et cœlestia.

Fac ut temporalibus utaris, æterna autem anheles.

Nullo bono temporali potes satiari, siquidem ad his fruendum creata non es.

2. Etiamsi cuncta bona creata potestate teneres, felix ac beata esse non posses, tota etenim beatitudo atque felicitas tua, in Deo, omnium rerum Creatore, consistit:

Hæc autem non est eiusmodi, quam stulti amatores mundi sibi fingunt laudibusque extollunt, sed eius generis, quam fideles Christi asseclæ exspectant, quamque spirituales, et qui mundo sunt corde, interdum prægustant, quorum *conversatio est in cœlis.* (Philipp. III. 20.)

Vanum et breve est omne solatium humanum, beatum verumque solatium est, quod interius, a veritate percipitur.

Homo, pietati devotus, consolatorem suum, Iesum, ubique secum fert, quem passim sic affatur: Domine Iesu, adesto mihi in omni loco omnique tempore.

Consolatio mea sit ista: Ut omni solatio humano semper libenter carere velim.

Atque, si tua consolatio mihi defuerit, voluntas tua, iustaque mei probatio sit mihi in summum solatium.

Non enim *in perpetuum irasceris, neque in æternum comminaberis.* (Ps. CII. 9.)

CAPUT XVII.
QUOD OMNIS CURA ET SOLLICITUDO DEO COMMITTENDA SIT.

1. Fili, sine ut de te ad libitum statuam; quibus rebus tibi potissimum opus sit, mihi notum. Tu modo humano rationaris; tu secundum affectus humanos cogitas.

2. Recte mones, Domine mi. Tua mei sollicitudo excedit omnem mei curam, cuius ego esse possim compos.

Caduco enim admodum fundamento nititur is, qui non omnem suam curam in te collocat.

Dummodo recta firmaque voluntate tibi inhæream, Domine, licebit, ut de me, quidquid tibi visum fuerit, statuas; nihil enim, nisi bonum, esse poterit, quidquid de me fieri constituas.

Si velis, ut sim in tenebris, sis benedictus; si me tribulari velis, sis perinde in æternum benedictus.

3. Si mecum versari cupis, fili mi, ad hunc modum te geras oportebit.

Tam paratum te præstabis ad patiendum, quam ad lætandum.

Tam libenter feres inopiam ac paupertatem, quam opes et affluentiam.

4. Domine, quæcunque mala e decreto tuo me impetant, causa tui libenter patiar.

Æquo animo cupio e manu tua accipere bonum perinde ac malum, dulce atque amarum, lætum atque triste, et pro omni re, quæquæ mihi obveniat, lubebit tibi gratias reddere.

Custodi me ab omni peccato, tum nec mortem nec inferos verebor.

Modo ne me in æternum abieceris, nec e libro vitæ me deleveris, quidquid tribulationis me incesserit, non mihi nocebit.

CAPUT XVIII.

QUOD MISERIÆ TEMPORALES, AD EXEMPLUM CHRISTI, ÆQUO ANIMO SINT FERENDÆ.

1. Fili, gratia tuæ salutis, ego de cœlo descendi; miserias tuas suscepi, non necessitate, sed charitate permotus, ut tu ex eo patientiam discerres, et ut miserias temporales non indignabundus ferres.

Nam inde ab hora ortus mei ad exitum meum usque in cruce, dolores mihi nunquam non toleranda fuerunt.

Defectu rerum temporalium molestissimo laboravi; conquestum de me sæpe fuisse audivi, confusiones et opprobria mansuete pertuli, pro beneficiis ingratum animum sum expertus, pro miraculis maledicta, pro doctrina reprehensiones.

2. Quandoquidem, Domine mi, in vita tua patiens fueras, ea re Patris tui præceptum apprime adimplendo, dignum est, ut ego misellus peccator, voluntati tuæ patienter obtemperem,

atque dum tibi sic visum fuerit, onus vitæ instabilis, causa salutis meæ, baiulem.

Nam, etsi vita præsens onerosa certe sit, per gratiam tamen tuam iam meritoria facta est, atque, te duce, vestigiisque Sanctorum tuorum, nobis infirmis reddita est tolerabilior ac clarior.

Sed eadem et solatii magis est plena, quam olim, vigente Lege Veteri fuerat, quum porta cœlorum clausa perseveraret; via quoque ad cœlum obscurior videbatur, quum regnum cœleste quærere paucis placebat.

Sed ante passionem tuam, debitumque sacra tua morte expeditum, ne ii quidem regnum cœleste introrire potuerant, qui tunc iusti erant et ad salutem electi.

3. O quantis erga te grati teneor, quod mihi, cunctisque fidelibus, viam rectam bonamque ad regnum tuum æternum indicare dignatus es!

Via enim nostra vita tua est, atque patientia sancta procedimus ad te, qui corona nostra es.

Nisi tu nos præcessisses ac docuisses, quis te sequi curaret? Heu, quam multi longe retroque remanerent nisi tua præclara exempla intuerentur.

Eheu, auditis licet tot signis tuis et doctrinis, usque torpescimus! quid fieret, si tanto lumine ad sequendum te destitueremur?

CAPUT XIX.
DE TOLERANDIS INIURIIS, ET QUIS VERE PATIENS COMPROBETUR.

1. Quamobrem sic loqueris, fili mi? Cessa iam conqueri, mea, aliorumque Sanctorum passione considerata.

Nondum usque ad sanguinem restitisti. (Hebr. XIII. 4.)

Parum est quod tu pateris, si tu iis te compares, qui tam multa passi, tam acerbe tentati, tam graviter tribulati, tamque, denique, multifariam probati et exercitati fuere.

Ut ergo tua mala exiliora tranquilliori mente ferre possis, iuvabit graviora aliorum in memoriam tibi revocare.

Atque, si ea tibi minima non videantur, vide ne etiam eius rei impatientia tua causa sit.

Attamen, sive magna, sive exilia mala fuerint, age ut ea patienter sufferas.

2. Quanto ad patiendum te melius dispones, tanto sapientius ages, uberiusque merebis; præ-

terea, animo atque usu ad id non segniter aptatis, faciliusquo que mala tolerabis.

Nec dixeris: Ab homine tali hæc ferre non lubet, nec res huiusmodi mihi ferendæ sunt; mihi enim grave damnum intulit, atque mihi improperat, quæ mente nunquam concepissem; ab alio tamen vexari libentius patiar, prout mihi videbitur.

Ratiocinium id genus ineptum est, quippe quod virtutis patiendi rationem non habet, nec a quo ea coronanda sit, sed potius personas librat, offensasque ab illis sibi illatas.

3. Qui pati detrectat, nisi quantum sibi non displicet, et a quo patiendum sibi expedire putat, virtute patientiæ non ornatur.

Qui virtute patiendi pollet, hominem non respicit, nec quærit, utrum a præposito sibi, an ab alio, sibi æquali aut inferiori, utrum a viro bono et sancto, an vero ab improbo et indigne sibi quid perferendum sit.

Sed potius nulla ratione ullius creaturæ habita, quantumcunque et quotiescunque sibi aliquid adversi contingit, e manu Dei gratus accipit, et id ingens lucrum reputat.

Nihil enim, quantumlibet exiguum, quod quis pro Deo passus sit, poterit sine merito Deum præterire.

4, Esto igitur expeditus ad pugnam, si promereri velis victoriam.

Nisi enim certamen ineas, coronam patientiæ non reportas.

Si pati non vis, coronam respuas. Si vero coronari desideras, certa viriliter, tolera patienter.

Sine labore ad requietem non pergitur, nec ad victoriam sine pugna pervenitur.

5. Fac, Domine, ut eveniat mihi per gratiam quod mihi fieri posse, despero per naturam.

Non ignoras me modicum pati posse atque vel levi exorta adversitate me facile deiici.

Fac, obsecro, ut quælibet exercitatio tribulationis, gratia nominis tui suscepta, fiat mihi amabilis et optabilis; nam tui causa pati et vexari, salubre est animæ meæ admodum.

CAPUT XX.
DE CONFITENDIS INFIRMITATIBUS PROPRIIS ET DE HUIUS VITÆ MISERIIS.

1. *Confitebor adversum me iniustitiam meam*, confitebor tibi, Domine, infirmitatem meam. (Ps. XXXI. 5.)

Sæpe res exigua est, quæ me deiicit et contristat.

Passim mihi propono fortiter me acturum, sed quum vel modica tentatio me impetit, magna mihi fit angustia.

Vilis quandoque est res valde, ex qua tentatio gravis exoritur.

Atque dum me iam parumper tutum existimo, nimirum, quum eam non percipio, aliquando vel a levi flatu me pæne devictum deprehendo.

2. Respice, ergo Domine, humilitatem meam, fragilitatemque tibi undique notam.

Miserere mei, et *eripe me de luto, ut non infigar*, ne deiectus penitus relinquar. (Ps. LXVIII. 15.)

Id, quod me tam frequenter retundit, meque

coram te confundit, imbecillitas mea est facile labendi, atque motibus animi resistendi infirmitas.

Etsi ad assentiendum iis non penitus adigar, tamen vel insectari eos mihi molestum durumque est, atque iam tædet me ipsius vitæ sic in rixa et luctatione quotidie actæ.

Ex hinc præsertim clara fit mihi infirmitas mea, siquidem phantasiæ detestandæ multo facilius me incedunt, quam a me discedunt.

3. O fortissime Deus Israel, præsidium animarum fidelium, utinam laborem doloremque servi tui respexeris, nec illi, quocunque iverit, in ullo discrimine defueris!

Munias me, precor, fortitudine cœlesti, ne homo vetus, misera carne spriritui necdum plene subacta, imperando prævaleat, adversus quem, dum in hac vita ærumnabili spiravero, certare me oportebit.

Eheu, quæ qualisque vita hæc est, quæ tribulationibus miseriisque scatet, ubi laqueorum et hostium sunt plena omnia!

Nam una recedente tribulatione vel tentatione iam alia succedit; imo prima afflictione adhuc durante iam aliæ, et hoc necopinate, plures superveniunt.

4. Ecquomodo, profecto, possit amari vita, tanta amaritudine referta, atque tot discriminibus miseriisque obnoxia?

Quomodo etiam, ultro, appelletur vita, quæ tot generum mortis pestiumque sit matrix?

Et tamen usque amatur, et ea delectari plurimis est volup.

Mundus sæpe reprehenditur velut fallax et vanus; nec tamen facile relinquitur, quia illecebræ carnis ultra fas dominantur.

Sunt enim quædam, quibus ad amandum incitamur, alia autem, quæ ad spernendum nos movent.

Ad amandum mundum nos alliciunt *desiderium carnis, desiderium oculorum et superbia vitæ;* sed dolores ac miseriæ, ea merito sequentes odium ac tædium mundi pariunt. (I. Ioan. II. 16.)

5. At, pro dolor! mentem, mundo deditam, vel paucillum oblectamenti devincit, et *esse sub sentibus delicias reputat*, quia suavitatem Dei, atque intrinsecam virtutis præstantiam nec vidit, nec guastavit. (Iob. XXX. 7.)

Qui autem mundum penitus spernunt Deoque vivere sub sacra disciplina conantur, dulcedinem Divinam, se demittentibus promissam non ignorant, atque quam graviter mundus erret, quamque multifariam fallatur, clarius vident.

CAPUT XXI.
QUOD PRÆ CUNCTIS BONIS ET DONIS IN DEO SIT REQUIESCENDUM.

1. O anima mea in Domino requiesces præ cunctis et universis rebus, quia ipse est requies Sanctorum æterna.

Fac, quæso, Iesu dulcissime et amantissime, ut in te requiescere possim præ omni creatura, præ omni salute ac pulchritudine, præ omni gloria et honore, præ omni potestate ac dignitate, præ omni scientia et subtilitate, præ cunctis opibus et artibus, præ omni lætitia et exsultatione, præ omni spe et exspectatione, præ omni merito et desiderio, præ omni dono ac munere quæ largiri et infundere possis, præ omni gaudio et iubilatione, quæ mens effingere capereque possit;

Denique, præ omnibus Angelis et Archangelis ac præ omni exercitu cœli, cunctis visibilibus et invisibilibus ac præ omni id, quod tu, Deus mi, non es.

2. Tu enim, Domine Deus mi, optimus es

ultra omnes res, tu es altissimus, tu potentissimus, tu es solus sufficiens et plenus, tu es suavissimus et solatii omnino plenus, tu es pulcherrimus et amantissimus, tu es nobilissimus et gloriosissimus ultra omnia: in quo cuncta bona simul et perfecte comprehensa sunt, semper fuerunt semperque erunt.

Atque ideo, quidquid tu mihi præter ipsum te donas, aut de te ipso revelas, vel promittis, si te non videam, nec plene adipiscar, minus est, nec sufficit:

Quandoquidem cor meum vere conquiescere planeque contentum esse non potest, nisi in te conquiescat, omnia dona omnemque creaturam transcendens.

3. O Iesu Christe, sponse mi dilectissime, amator purissime, dominator universæ creaturæ, quis me alis donabit veræ libertatis, ut ad te volare, et apud te quietem reperire possim?

O quando mihi dabitur penitus vacare et videre, quam sis suavis, Domine Deus mi?

Quando me ex integro in te colligam, ita ut mei ne conscius quidem sim, sed tui tantum, ultra omnem sensum, omnem modum, nulli præter me notum?

At nunc contristatus gemo, atque infelicitatem meam cum dolore gesto:

Quia in hac ærumnarum valle mala innumera me obsident, quæ me sensim perturbant, contristant et obumbrant, sæpissime me impediunt et distrahunt, allectant et implicant, quominus ad te libere accedere, iucundisque amplexibus frui possim, testibus semper spiritibus beatis.

Fac ut suspirium meum, desolatioque in terra multifaria te commoveant.

4. O Iesu, *splendor æternæ gloriæ*, solatium animæ peregrinantis, elinguis coram te versor, et ad te silens loquor.

Usque quo cunctabitur Dominus meus venire?

O utinam veniat ad me, suum pauperculum, meque lætificet. O utinam manum suam porrigat, meque miserum ex omni angustia eripiat.

Veni, o veni! nam sine te nullus dies, nullaque hora, læta erit, quia tu es lætitia mea, atque mensa mea, te absente, vacua est.

Miser sum, ac quodammodo in carcere, compedibus vinctus, donec fulgore præsentiæ tuæ animum meum illustres ac libertate dones, vultumque amicum mihi ostendas.

5. Quærant sibi alii, loco tui, quidpiam aliud, quod sibi libeat; interea mihi necquidquam placet, nec placebit, nisi tu, Deus mi, spes mea salus æterna.

Non conticescam, nec precari cessabo, donec gratia tua ad me revertat, tuque ad me in intimis loquaris.

6. En, adsum. En iuxta te adsto, quia me invocaveras. Lacrymæ tuæ, desiderium animæ tuæ, humiliatio tua atque contritio cordis moverunt me et ad te adduxerunt.

7. Tum ego dixi: Vocabam te, Domine, quia consuetudine tua frui volebam, propter te omnia respuere paratus.

Verumtamen tu me prior excitaveras, ut te quærerem.

Sis ob eam rem benedictus, Domine, qui ex tua infinita misericordia servo tuo hoc bonum præstiteras.

Quid ultra superest, quod servus tuus coram te dicere possit, nisi ut coram te gratus se prosternat, suæ imbecillitatis indignitatisque nunquam immemor?

Tui enim in omnibus cœli terræque mirabilibus necquidquam est simile.

Sunt opera tua bona valde iudicia vera, et providentia tua reguntur universa. (Eccl. XXXIX. 2. Ps. XVIII. 9; Sap. XIV. 3.)

Esto ergo tibi, o Sapientia Patris, laus et gloria! Te laudent, tibique benedicant labia mea, anima mea, cunctæque res creatæ, in universum.

CAPUT XXII.
DE RECOLENDIS MULTIPLICIBUS BENEFICIIS DEI.

1. *Aperi, Domine, cor meum in lege tua, et in præceptis tuis doce me ambulare.* (II. Machab. I. 4.)

Fac ut intelligam quæ tua voluntas sit, et ut summa reverentia, diligentique cura recolam tua beneficia tam in genere, quam in specie, ut exinde dignas valeam gratias tibi refundere.

Verumtamen non ignoro me parem, qui tibi vel pro minimo beneficiorum tuorum puncto condignas gratias persolvam, omnino haud esse.

At ego bonis omnibus in me collatis impar sum, atque nobilitatem tuam contemplanti, deficit mihi spiritus præ immensa magnitudine tua.

2. Omnia, quæ nobis sive in animo, sive in corpore sita sunt, quæ sive intra nos, sive extra nos habemus, quæque sive e dono naturæ, sive modo naturam excedenti possidemus, tua sunt beneficia, teque datorem prædicant, te pium ac bonum commendant, a quo cuncta bona manant.

Etsi aliquis plura, alius pauciora acceperit, omnia tamen tua sunt, atque sine te ne minimum quidem obtineri potest.

Is qui maiora nactus est, meritis suis gloriari non potest, nec supra alios extolli, nec se minores cavillari, is enim maior meliorque est, qui sibi minus arrogat, atque in gratiis reddendis humilior est et pietati devotior.

Præterea, qui se aliis omnibus posthabendum arbitratur atque indigniorem iudicat, magis idoneus est ad impetranda maiora.

3. Cui autem pauciora obtigerunt contristandum ei non est, nec ægre ferre debet, neque magis fortunato invidere, sed potius animum ad te convertere, tuam bonitatem enixe laudare, quod tam affluenter, tam gratuito, tamque libenter, sine personarum delectu, munera tua largiaris.

Abs te sunt omnia, et ob eam rem tu es in omnibus laudandus.

Quid cuique largiendum, tu optime nosti; atque cur huic plus, alteri minus obveniat, non nostrum, sed tuum est discernere, quippe apud quem merita singulorum definita constant.

4. Quapropter, Domine Deus, eximium censeo beneficium, multa non possidere, ex quibus exterius, ad morem hominum, laus et gloria

emineant, scilicet, ut si quis paupertatis tenuæque sortis suæ memor sit, ex eo non modo nullum dolorem, tristitiam vel animi deiectionem concipiat, sed potius consolationem atque summum gaudium.

Tu enim, o Deus, pauperes et humiles, atque mundo huic despectos, tibi in amicos et familiares elegisti.

Apostoli tui ipsi, quos *principes super omnem terram constituisti,* huius rei testes sunt. (Ps. XLVII. 17.)

Hi tamen in mundo sine querela versati sunt, tam humiles et simplices, tam omnis malitiæ dolique liberi, ut *pro nomine tuo* etiam *contumelias pati* non dubitassent, amplexique grati fuissent, quæ mundus abhorrere consuevit. (Act. V. 45.)

5. Ei ergo, qui te amat, quique beneficia tua cognovit, nihil tantum gaudium paret est necesse, quam tua eius approbatio, atque æterno tuo decreto sic ratum habere.

A te autem approbari hominem sic contentum reddat oportet, ut is minimus esse tanto gaudio fieri velit, quanto maximus; ultimus tanta animi tranquillitate paceque esse velit, quanta locum primum appetere; abiectus item atque posthabitus, vel nullius nominis et famæ tam alacri animo

esse cupiat, quam primatum inter optimates mundi obtinere.

Nam auctoritas tua, atque amor honoris tui, omnia excedere debent, atque iisdem homo magis delectetur, oportet, quam omnibus donis, unquam collatis vel conferendis.

CAPUT XXIII.
DE QUATUOR CONDITIONIBUS PACIS PROFUNDÆ.

1. Fili, nunc viam pacis veræque libertatis te docebo.

2. Fac, Domine, ut dicis, quia hoc auditu mihi gratum est.

3. Enitere, fili, alterius, quam tuam, facere voluntatem.

Elige semper ad habendum minus quam plus.

Locum inferiorem semper tibi exquire, et subesto omnibus.

Opta semper, precareque, ut voluntati Dei in te semper penitus satisfiat.

En, qui hæc implet, ad fines pacis et quietis perveniet.

4. Domine, iste sermo tuus brevis leges perfectionis in se complectitur.

Eloquendo brevis quidem est, sensu tamen plenus est, atque ferax frugum.

Si præcepta hæc effectui dare possem, ne conturber, verendum mihi non esset.

Quoties pacem meam amisisse comperiar et onere gravari, me a doctrina ista recessisse intelligam.

Tu vero, qui potes omnia, qui quum anima progreditur gaudes, adauge maiorem gratiam, ut quod docueras, exercere, meamque salutem perficere possim.

Preces adversum cogitationes improbas.

5. *Domine Deus meus ne elongeris a me; Deus meus, in auxilium meum respice,* quoniam variæ cogitationes timoresque graves, animam meam affligentes in me insurrexerunt. (Ps. LXX. 12.)

Quomodo evadam illæsus? Quomodo perrumpam eas?

6. *Ego,* inquit Deus, *ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo.* Aperiam ianuas carceris; arcana secretorum revelabo tibi. (Is. XLV. 2.)

7. Fac, Domine, ut ais, ut omnes cogitationes improbæ, te præsente, dissipentur.

Quotiescunque tribulor, ad te confugere, tibi confidere, te omni cordis affectu invocare, demum, solatium a te exspectare, spes mea est et consolatio sola.

Preces, ut mens illustretur.

8. Illumina me, Iesu bone, luce luminis interni, tenebras universas penetralium cordis mei dissipando.

Cohibe evagationes meas nimias, tentationes mihi vim inferentes elide.

Decerta pro me fortiter, illecebras insidiosas, veluti malas bestias, expugna, *ut fiat pax in virtute tua et abundantia* laudis tuæ in aula sacra, hoc est, in conscientia pura, resonet. (Ps. CXXI. 7.)

Impera ventis et tempestatibus: *dic mari: quiesce; dic aquiloni: ne flaveris,* et erit *tranquillitas magna.* (Marc. IV. 39.)

9. *Emitte lucem tuam et veritatem,* ut luceant super terram; quia et ego terra sum inanis et vacua, donec tu me illumines.

Effunde in me gratiam tuam desursum, irriga cor meum rore cœlesti, ministra aquas pietatis ad rigandam superficiem terræ, ut ea germinet frugesque gignat optimas et uberrimas.

Subleva animum meum, mole peccatorum oppressum, totumque desiderium meum ad cœlestia destina, ut deliciis felicitatis supernæ degustatis, terrena appetere fastidiam.

10. Aufer me hinc, ne ulla creatura solatio instabili me tentet, nulla enim res creata par est, quæ appetitui meo ex omni parte satisfacere, eumque quiete donare possit.

Adiunge me tibi vinculo dilectionis insolubili, quoniam amanti tu solus sufficis, atque præter te frivola sunt universa.

CAPUT XXIV.
DE VITANDA CURIOSA IN VITAM ALTERIUS INQUISITIONE.

1. Noli esse curiosus, fili mi, nec vana de aliis sollicitudine tenearis.

Quid hoc, vel illud, *ad te? Tu me sequere.* (Ioan. XXI. 22.)

Quid enim tua interest, utrum quis huiusmodi an eiusmodi sit, utrum quis hoc vel illo modo agat, vel loquatur?

Tu pro illis respondere non cogeris, sed rationes de ipso te reddes. Quid ergo te ingeris?

En, ego cognosco omnes, et cuncta quæ sub sole fiunt, video; scio quoque statum uniuscuiusque, quid cogitet, quid velit, quoque eius consilia tendant.

Mihi igitur committenda sunt omnia; tu autem in pace serena te contineas, atque quis quid et quantum agitare velit, sinas.

Super eum enim recidet, quiquid egerit vel dixerit, me enim fallere non potest.

2. Ne sit tibi curæ fama alicuius, nec amicitia cum plurimis, nec æstimatio privata hominum.

Ista enim mentem distrahunt, atque cor tenebris obruunt.

Libenter aperirem tibi mentem meam, et revelarem tibi arcana, si me advenientem præstolareris ostiumque cordis tui mihi reserares.

Fac ut sis providus, vigila precibus intentus, teque in omnibus humilem præsta.

CAPUT XXV.
QUIBUS IN REBUS CONSISTAT FIRMA PAX CORDIS VERUSQUE PROFECTUS.

1. Fili, hæc ego enuntiavi: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis.* (Ioan. XIV. 27.)

Pacem omnes exoptant, sed quæ ad veram pacem pertinent, non omnes curant.

Pax mea penes humiles est et corde mansuetos; pace frueris, si patientia abundaveris.

Si dicto meo audiens eris, verbumque meum sequeris, plurima pace gaudebis.

2. Quid igitur faciam?

3. Curare te ipsum, quid facias, quidque dicas memento; consilia porro sic regas, ut mihi soli placere coneris, nec præter me quidquam aut quæras aut concupiscas.

Interest insuper, ut de dictis factisque aliorum haud temere iudices, nec rebus tibi non commis-

sis te implices; tum demum fiet, ut parum, vel raro perturberis.

Nunquam ullo modo perturbari aut nullam cordis vel corporis molestiam perpeti, homini, in hac vita, datum non est, status is est quietis æternæ.

Noli ergo existimare te vera pace potitum esse, si nullo gravamine molesteris; nec putes iam totum esse bonum, si nullo adversario vexeris, si cuncta ad lubitum tuum contingant.

Nec tum aliquid magni te reputabis aut te speciali modo dilectum existimabis, si forte eximia fueris pietate atque suavitate; hæc enim obryssæ veri studiosi virtutum non sunt, nec profectus, atque perfectio hominis in his consistit.

4. In qua re ergo, Domine?

5. In hac re: Ut, videlicet, te voluntati divinæ ex toto corde concredas, non quæ tua sunt quærendo, sive sint ea exilia, sive summa, sive temporanea, sive æterna, ita ut idem sit tibi vultus, gratias agendo in rebus secundis perinde atque in adversis, has atque illas æqua lance pensando.

Si spe tam sis firmus ac sperando sic perseveres, ut solatio interiori tibi erepto, cor tuum ad

ulteriora ampliusque toleranda usque communias, nec te persuadeas talia tantaque te pati haud debere, sed, contra, cuncta ea quæ ego statuam iusta arbitraberis, meque si sanctum prædices; tramitem pacis rectum ingressus es, atque spes tua erit indubitata, *quod rursus in iubilo faciem meam sis visurus.* (Iob XXXIII. 26.)

Quodsi demum eo perveneris, ut temet plane spernas, scito pacem plenam, quoad eius hac in peregrinatione tua fieri possit, te adepturum.

CAPUT XXVI.

DE PRÆSTANTIA ANIMI IMMUNIS, QUI PRECIBUS SUPPLICIBUS POTIUS QUAM LECTIONE OBTINETUR

1. Virum, virtutibus perfectum, Domine mi, hoc modo acturum arbitror: animum, quominus cœlestia intueatur, nunquam relaxabit; vitæ perplexitates quasi curis solutus transibit, non quidem incurius, sed veluti dote serenæ mentis firmus; nulli rei creatæ ultra ius et fas adhærendo.

2. Obsecro te, Deus mi piissime, præserva me a curis vitæ huius, ne nimis implicer; a nimiis indigentiis corporis, ne voluptate capiar; ab universis animæ obstaculis, ne molestiis fractus deiiciar.

Non eas res indico, quas vanitas mundana toto affectu ambit, sed illas miserias, quæ animum servi tui communi mortalitatis maledicto, veluti cum pœna gravant et impediunt ne libertatem mentis ad libitum invadere possint.

3. O Deus mi, dulcedo ineffabilis, verte mihi

omne solatium carnale in amaritudinem, utpote quod me ab amore rerum æternarum avocat, meque ad se, bono quodam delectabili præsenti, oculis meis oblato, male allectat.

Age, ne me vincat, Deus mi, ne me vincat caro et sanguis, ne me mundus decipiat brevisque gloria eius, ne me diabolus astutiaque sua supplantet.

Communi me fortitudine ad resistendum, patientia, ad tolerandum, constantia ad perseverandum.

In locum omnis mundi solatii da mihi suavissimam animi tui unctionem, in locum autem amoris carnalis infunde in me amorem nominis tui.

4. Enimvero cibus, potus, vestis, cæteraque corporis sustentacula, animo ferventi onerosa sunt.

Fac ut fomentis hoc genus moderate utar, nec desiderio eorum nimio implicer.

Mittere hæc omnia non licet, quia indigentiis naturæ serviunt; superflua tamen, quæqe magis delectant, appetere, lege sacra prohibemur, alioquin caro adversus spiritum insolesceret.

Inter hæc, quæso te, fac ut manus tua, ne quid nimium accidat, regat me atque doceat.

CAPUT XXVII.
QUOD AMOR PRIVATUS A SUMMO BONO MAXIME DETINEAT.

1. Fili, oportet ut te rerus, quæ Dei sunt, totum dedas, nec quidquam tui ipsius sit.

Scito amorem proprium tui magis tibi obesse quam ullas res mundi.

Quælibet res, secundum amorem affectumque quibus earum teneris, plus-minusque tibi hærebunt.

Si fuerit amor tuus purus, simplex, et rite dispositus, vinculis rerum non gravaberis.

Quod habere nefas est, concupiscere noli.

Quod te impedire, teque libertate interiori privare possit, habere noli.

Mirum est, quod tu ipsum te cunctaque quæ appetere possis vel habere cupias, non ex imo corde mihi committas.

2. Quare vano mœrore consumeris? Cur superfluis curis fatigaris?

Persevera in mihi placendo, tum nullum feres detrimentum.

Si istud vel illud quæras, si hic vel illic esse causa tui commodi velis, atque ut proprium libitum efficacius sectari queas: tranquillitate nunquam frueris, nec sollicitudine carebis, defectum enim in omni re passim reperies, et qui tibi adversetur nusquam non invenies.

3. Iuvat igitur non quæcunque res adepta, vel exterius aucta, sed potius e corde radicitus evulsa, excisa et contempta.

Quod vero non solum de censu æris opumque intelligas, sed etiam de honoris ambitu, ac de studio laudis vanæ, quæ cuncta cum mundo una intereunt.

Locus, si animus alacer absit, parum præsidii præbet; nec pax extra comparata diu perstabit, si statum cordis verum fundamentum deficiat, hoc est, nisi mihi insistas; mutare te potes, non meliorare.

Nam occasione exorta et obtenta, quod fugeras, et ultra, invenies.

Preces ad cor emundandum ac pro sapientia cœlesti.

4. Confirma me, Deus, per gratiam Spiritus Sancti.

Da mihi virtutem, ut homo interior in me firmetur, ut cor meum ab omni sollicitudine superflua angoreque vacuefiat, nec concupiscentia rerum sive vilium sive præstantium teneatur, sed ut cuncta tamquam peritura, me quoque una periturum, respiciant.

Quia nihil permanens sub sole, ubi omnia vanitas et afflictio spiritus. O quam est sapiens qui res sic intuetur! (Eccl. I. 14: II. 11.)

5. Largire mihi, Domine, sapientiam cœlestem, ut te ante omnia quærere et invenire discam, perinde ac te super omnia sapere et diligere, cætera autem, ut secundum decretum sapientiæ tuæ, prout sunt, intelligam.

Fac ut assentatorem prudenter declinare, adversantem autem patienter ferre possim.

Quia egregia sapientia est omni vento verborum non nutare, nec Sirenæ male blandienti aures præbere; sic enim in via incepta secure incedetur.

CAPUT XXVIII.
CONTRA LINGUAS OBTRECTATORUM.

1. Fili, si qui de te male sentiant, deque te aliquid ingrati dicant, ægre ferre noli.

Oportet enim ut tu de ipso te deterius sentias, nec ullum te inferiorem arbitreris.

Si via interiori incedis, dicteria iactata magni non facies.

Tempore importuno silere, introrsumque ad me converti, nec iudicio humano perturbari, prudentia est non mediocris.

2. Pax tua in ore hominum ne fuerit. Sive enim bene, sive male eam interpretentur, homo diversus eapropter non es. Ubi est, quæso, vera pax, veraque gloria? Nonne in me?

Qui vero hominibus placere non conatur, nec iis displicere veretur, multa pace perfruetur.

Inquietudo cordis omnis sensuumque ab officio avocatio e timore vano oritur et ex amore minus ordinato.

CAPUT XXIX.

QUI DEUS, TRIBULATIONE INSTANTE, INVOCANDUS SIT, EIQUE BENEDICENDUM.

1. Nomini tuo, Domine, quippe cuius consilio tentatio hæc atque tribulatio me incesserat, benedicatur in sempiternum.

Effugere eam nequeo, iuvabit idcirco ad te confugere, ut mihi subvenias, easque mihi bene vertas.

Tribulatione sum modo obsessus, Domine, nec est cordi meo bene, quin instantibus animi motibus vehementer conflictor.

Et nunc, Pater dilecte, *quid dicam?* Captus inter angustias sum, *salvifica me ex hac hora.* (Ioan. XII. 27; ibid.)

Sed propterea veni in hanc horam, ut quum ad ima humiliatus, per te tamen liberatus fuero, tu ipse illustreris. (Ion. XII. 28.)

Ne displiceat tibi, Domine, me eruere; quid enim ego imbecillis, viribus possum? aut quo ivero sine te?

Da mihi, Domine, etiam hac vice patientiam.

Adiuva me, Deus mi, tum, quantumcunque obrutus oneribus fuero, non timebo.

2. At nunc, in hoc rerum statu, quid dicam? Domine, *fiat voluntas tua.* Iure meritoque mihi contingit ut tribuler et graver. (Matth. XXVI. 42.)

Utique oportet ut sustineam, utinam patienter, usque dum tempestas prætereat, atque cœlum iterum illucescat.

Par est manus tua omnipotens, quæ et hanc tentationem a me tollat, eiusque impetum mitiget, ne penitus succumbam, ut, Deus mi, misericordiaque mea, iam antea sæpius mihi faceras.

Atque quanto difficilius mihi est, tanto est tibi *hæc mutatio dexteræ Excelsi* facilior. (Ps. LXXVI. 11

CAPUT XXX.

DE AUXILIO DIVINO PETENDO, ET DE CONFIDENTIA RECUPERANDÆ GRATIÆ.

1. Fili, ego sum *Dominus confortans in die tribulationis.* (Nahum I. 7.)

Veni ad me, quum tibi bene non fuerit.

Solatium cœleste eo præsertim arcetur, quod ad preces te cunctabundus convertis.

Nam antea quam fervidas ad me preces fundas, alia multa solatia quæris, teque rebus externis recreas.

Inde fit ut omnia parum prosint donec animadvertas, *quia ego sum qui eruo sperantes in me;* nec extra me auxilium efficax exsistit, neque utile consilium, sed ne remedium quidem durabile. (Ps. XVI. 7.)

Sed iam animo refectus, post tempestatem, in splendore miserationum mearum revivesce; quia prope sum, ait Dominus, ut universa, non solum ex integro, sed et abundanter et cumulate restaurem.

2. *Numquid mihi quidquam est difficile?* Aut vero promittenti, nec facienti assimilabor? (Ierem. XXXII. 27.)

Ubi est fides tua? Persta firmus, persevera; esto longanimis, atque vir fortis; solatium tibi tempore iusto non deerit.

Exspecta me, exspecta: *veniam et curabo te.* (Matth. VIII. 7.)

Tentatio est quæ te vexat, formidoque vana, quæ te exterret.

Quid refert de futuris contingentibus sollicitari, nisi tristitiam tristitiæ addere velis? *Sufficit diei malitia sua.* (Matth. VI. 34.)

Vanum et inutile est de futuris angi vel lætari, quæ forte nunquam evenient.

3. At huiusmodi imaginationibus deludi humanum est, suggestionibus tamen inimici facile moveri indicium adhuc est animi pusilli.

Ipse enim, utrum te rebus veris an falsis deludat et decipiat, non curat, utrum te præsentium amore, an formidine futurorum prosternat.

Non ergo turbetur cor tuum, neque formidet; confide mihi, atque fiduciam in misericordia mea habeto. (Ioan XIV. 27.)

Quando tu te longe a me putas, sæpe sum tibi proximus.

Quando tu existimas pæne totum perditum, sæpe maius lucrum merendi occasio instat.

Non est totum perditum quamprimum res in contrarium currunt.

Cave, ne ex eo quod nunc sentis iudices, nec discrimini cuiquam, quacumque ex parte veniat, sic inhærescas, et sic idem accipias, quasi ex eo emergendi spes omnis ablata sit.

4. Noli putare te soli esse omnino relictum, etiamsi ad tempus tribulationem quandam in te immisissem, aut si etiam solatium optatum tibi subduxissem; sic enim ad regnum cœlorum pervenitur.

Atque hoc et tibi et cæteris servis meis, sine dubio, magis expedit, ut, nimirum, potius rebus adversis exercitemini, quam ut cunctis bonis ad libitum fruamini.

Sententias cordis secretas ego novi: quamobrem saluti tuæ profuturum scio, ut interdum ieiunus relinquaris, ne forte rebus secundis extollaris, tibique ex eo quod non es, complaceas.

Quod tibi dederam, quum mihi libuerit, et auferre possum et restituere.

5. Quum quid largior, meum est; quum id resumo, tuum non abstuli; quia meum est *omne datum optimum et omne donum perfectum.* (Iac. I. 17.)

Quum tibi molestiam immisero, aut quæcunque contraria, noli indignari, nec cor tibi concidat: par enim ego sum qui tibi omne onus sublevem, et in gaudium permutem.

Verumtamen ego iustus sum et commendabilis admodum, quum sic tibi facio.

6. Si sapis, ut par est, et in veritate iudicas, in rebus adversis delecte nunquam contristaberis, sed potius lætaberis gratiasque ages, imo hoc unicum gaudium reputabis, *quod affligens te doloribus non parço tibi.* (Iob VI. 10.)

Sicut dilexit me pater, et ego vos diligo, dixi discipulis meis dilectis, quos utique non miseram ad capienda gaudia temporalia, sed potius ad strenua certamina; non ad honores, sed in despectum; non ad otium, sed ad labores; non ad quiescendum, *sed ad afferendum fructum multum in patientia.* Fili mi, horum verborum memento. (Luc. VIII. 15, et Ioan. XV. 16.)

CAPUT XXXI.
DE NEGLECTU OMNIS CREATURÆ, UT CREATOR POSSIT REPERIRI.

1. Domine, uberiori adhuc gratia perquam indigeo, si eo pervenire debeam, ubi me iam nemo, nec ulla creatura, fustrare possit.

Eo enim usque dum ulla res me detinet, libere ad te volare haud quamquam possum.

Is qui dicebat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam*, libere volare cupiebat. (Ps. LIV. 7.)

Oculo simplici quid quietius? Quid, porro, est magis liber quam qui in terra nihil concupiscit?

Omnem igitur creaturam prælerire, nosque ipsos penitus dedere oportet, atque mente exstupescentes videre, te, rerum Conditorem, in rebus creatis nihil tui simile habere.

Atque, nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, mentem in res divinas defigere libere non poterit.

Ideo autem pauci reperiuntur qui res divinas

contemplentur, quia pauci sciunt voluntque a caducis rebusque creatis penitus sequestrari.

2. Ad exsequendum hoc amplissima gratia opus est, quæ animam sublevet, eamque supra se extollat.

Nisi enim homo spiritu sublatus sit, et omni creatura liber, Deoque totus unitus, quidquid sciat, quidquid etiam habeat, magni ponderis non est.

Qui præter solum Unum, immensum, bonum æternum, quidquam magni æstimat, diu pusillus, humique stratus manebit.

Et quidquid Deus non est, est nihil, et ut nihilum reputari debet.

Sapientia viri pii et docti atque scientia clerici litterati ac studiosi multum discrepant.

Doctrina illa, quæ desursum e divino afflatu manat, multo est nobilior quam ea, quæ ingenio humano laboriose comparatur.

3. Plures reperies qui contemplationi sese tradere gestiunt, sed quæ ad eam conducunt factis exercere non conantur.

Impedimentum haud exiguum est quod indiciis, rebusque sensibus subiectis inhærescimus, nec exemplis corporis domati abundamus.

Nescio quid sit, qua sententia ducamur, et quid prætexamus, qui spiritales vocari gestimus, qucd rebus caducis ineptisque tantam operam, et maiorem etiam sollicitudinem impendamus, quum de nostris intimis, sensibus rite collectis, vix aut ne vix quidem cogitemus.

4. Pro dolor! statim atque nos animo collegerimus, iam foras prorumpimus, nec opera nostra severiori lance libramus.

Quo affectus nostri digrediantur, non curamus, nec quam res cunctæ impuræ sint deflemus.

Omnis quippe caro corruperat viam suam, et eapropter est ingens illud diluvium insecutum. (Gen. VI. 12.)

Quum ergo affectus nostri intimi corrupti sint, ut et actio insequens, index deficientis vigoris interioris, corrumpatur, necesse est.

Ex puro corde procedit fructus bonæ vitæ.

5. Quantum quis fecerit, quæritur; sed ex quanta virtute agat, non tam studiose inquiritur.

Utrum sit quis fortis, dives, pulcher, habilis, vel bonus scriptor, bonus cantor, bonus operarius, investigatur; at quam pauper idem sit spiritu, quam patiens et mitis, quam pius et interiora curans, a plurimis reticetur.

Rerum natura exteriora hominis respicit, gratia ad interiora se convertit.

Illa frequenter fallitur, ista spem in Deo ponit, ne decipiatur.

CAPUT XXXII.

DE REPRESSIONE SUI ET DE CUNCTIS CUPIDITATIBUS COERCENDIS.

1. Fili, plena libertate potiri, nisi tibi omnia neges, non poteris.

Omnes rerum domini, omnes qui se amant, qui sunt cupidi, curiosi, gyrovagi, qui perpetuo quæ mollia sunt quærunt, non ea quæ Iesu Christi sunt, quorum loco sæpe moliuntur et comminiscuntur res quæ consistere nequeunt, compedibus sunt vincti.

Totum enim, quod ex Deo ortum non est, peribit.

Tene hoc verbum breve et consummatum: Mitte omnia, et invenies omnia; relinque cupiditatem, et reperies quietem.

Hoc mente pertracta, et quum id adimpleveris, cuncta intelliges.

2. Domine, hoc non est opus diei unius, nec nugæ pueriles; quin in sententiuncula ea iam omnis Religiosorum perfectio comprehenditur.

Fili, via perfectorum tibi indicata, nec statim repelli debes nec deiici, quin potius ad sublimiora evocari, aut saltem ad ea ex corde aspirare.

Utinam sic de te constaret, et ad id iam pervenisses! ut terminus amares, et ad nutum meum, eiusque quem tibi præposui Patris, alacer obtemperares. Tum enim mihi perquam placeres, totaque tua vita in pace ac gaudio perflueret.

Adhuc multa sunt tibi relinquenda, quæ nisi mihi penitus committas, compos votorum tuorum non eris.

Suadeo tibi *emere a me aurum ignitum*, ut dives fias, idest, sapientiam cœlestem, quæ omne quod se inferius sit, conculcat. (Apoc. III. 18.)

Terrenam sapientiam, omnemque humanam ac propriam complacentiam posthabeto.

3. Monebam te, ut e rebus humanis quæ viliores essent, non autem quæ summæ et pretiosæ, tibi comparares.

Nam vilis admodum et exigua, pæne oblivioni tradita esse videtur sapientia cœlestis, quæ se magni non facit, nec in terris laudibus evehi cupit, et quam non pauci ore prædicant, vita tamen ab ea discrepant; attamen ipsa est *pretiosa margarita*, tam multis abscondita. (Math. XIII. 46.)

CAPUT XXXIII.

DE INSTABILITATE CORDIS, DEQUE PROPOSITO ULTIMO IN DEUM FIGENDO.

1. Fili, affectui tuo, quo nunc es, fidere noli, facile enim in aliud mutatur.

Dum vivis mutabilitati subes etiam nolens, ut modo lætus, modo tristis, modo pacatus, modo perturbatus, nunc segnis, nunc gravis, nunc, denique, levis deprehendaris.

At sapiens, animo rite excultus, supra hæc mutabilia est constitutus, suæ sententiæ privatæ immemor, nec unde ventus instabilitatis flet curans, sed totus est ut omnes vires intellectus ad finem optatum debitumque vergant.

Sic enim licebit ipsi unus et idem, nec concussus, permanere, oculum propositi sui singularis per tot rerum casus, ad me intrepide dirigendo.

2. Quo autem oculus propositi clarior sit, in medio procellarum eo tutius et constantius procedetur.

Verum oculus puri propositi non paucis caligat; fit enim, ut visus facile deflectatur si quid delectabile obviam occurrit.

Nam et rarus quisque nævi, data opera comparati, prorsus expers reperietur.

Sic olim Iudæi Bethaniam ad Martham et Mariam venerant, *non propter Iesum tantum, sed et ut Lazarum viderent.* (Ioan. XII. 9.)

Mundandus igitur est propositi oculus, ut simplex rectusque sit, atque supra alia adminicula, varii generis, ad me dirigendus.

CAPUT XXXIV.

QUOD AMATOR PRÆ CUNCTIS REBUS ET IN OMNIBUS DEO DELECTETUR.

1. En, Deum meum et omnia! Quid ulterius velim, quidque felicius optare possim?

O suave et dulce verbum! sed *amanti* Verbum, *non mundum, nec ea quæ in mundo sunt.* (I. Ioan. II. 15.)

Deus mi, et omnia! Ei, qui intelligit, dictum satis est, quod sæpius repeti iucundum est auditu amatori.

Siquidem te præsente iucunda sunt omnia, te autem absente, fastidiunt cuncta.

Tu reddis cor tranquillum, tu præstas pacem stabilem lætitiamque festivam.

Tu facis ut homines erga omnes res bono animo sint, et ut te in cunctis rebus laudent, nec potest quidquam sine te diu placere; sed si gratum esse sapereque oporteat, gratiam tuam adesse, eamque condimento tuæ sapientiæ conditam esse necesse erit.

2. Qui te delectatur, quid ei gratum non erit? Cui vero tu delectamento non es, quid ei iucunditatem affere poterit?

At sapientes mundi, quique carnem sapiunt, tua sapientia deficiunt; quia ibi plurima vanitas, hic autem mors invenitur.

Qui autem te, mundo spreto, carneque frenata, sequuntur, vere sapientes cognoscuntur: quia a vanitate ad veritatem, a carne ad animum perducuntur.

Istis placet Deus, atque hi, quidquid boni in creaturis reperitur, ad laudem sui Conditoris referunt.

Creator tamen a creatura, æternitas a tempore, lux increata a lumine effuso suavitate et dulcedine miro modo discrepant, nec sibi assimilanda sunt.

3. O lux perpetua, cuncta lumina creata transcendens, *fulgura coruscationem*, intima cordis mei ex excelso penetrantem. (Ps. CXL. 6.)

Adorna spiritum meum, suasque facultates puritate, lætitia, claritate ac vita, ut tibi iubilans et exsultabundus inhæream.

O quando veniet hora illa optatissima ac beata, qua me tua præsentia expleas quumque futurus *sis mihi omnia in omnibus.* (I. Cor. XV. 28.)

Quamdiu hoc datum non fuerit, nec gaudium plenum erit.

Adhuc, pro dolor! vivit in me vetus homo; non est totus cruci fixus, non est plene mortuus.

Adhuc graviter concupiscendo spiritui adversatur, bella movet intestina, nec regnum animæ quietum esse sinit.

4. Sed tu, *qui dominaris potestati maris et motum fluctuum eius mitigas, exsurge, adiuva me.* (Ps. LXXXVIII. 10; XLIII. 26.)

Dissipa gentes, quæ bella volunt, contere eas virtute tua. (Ps. LXVII. 31.)

Ostende, quæso, opera tua ingentia, tum dextera tua gloria resplendescet; mihi enim, nisi in te, Domine Deus mi, spes alia nulla, neque refugium est.

CAPUT XXXV.

QUOD A TENTATIONE, HAC IN VITA, NULLA SIT SECURITAS.

1. Fili, in hac vita securus nunquam es, sed arma spiritualia, dum vixeris, tibi semper necessaria erunt.

Inter hostes versaris, atque tam a dextris quam a lævis impugnaris.

Si ergo scuto patientiæ undique usus non fueris, sine vulnere diu non eris.

Insuper, nisi cor tuum firmiter in me ponas, ut sola voluntate, causa mei, cuncta patiaris, nec ardorem hunc ferre, nec ad palmam beatorum pertingere poteris.

Oportet, igitur, ut omnia fortitudine virili pertranseas, atque ut obices firma manu dimoveas.

Nam vincenti datur manna, torpido autem ærumnarum copia relinquitur.

2. Si iam in hac vita quietem quæris, ad requietem æternam postea quomodo pervenies?

Noli te multæ quieti tradere, sed potius magnæ patientiæ.

Veram pacem ne in terris, sed in cœlis, nec in hominibus, nec in cæteris creaturis, sed in Deo solo quæras.

Ex amore Dei omnia libenter subire debes, veluti dolores, tentationes, vexationes, angores, necessitates, ægritudines, iniurias, oblocutiones, reprehensiones, humiliationes, confusiones, correctiones et despectiones.

Hæc iuvant ad virtutem, hæc probant Christi tironem, hæc plectunt cœlestem coronam.

Ego pro brevi labore mercedem æternam reddam, atque pro confusione transitoria, gloriam infinitam.

3. Num putas te solatia spiritualia ad libitum semper habiturum?

Sancti mei iis non semper gaudebant, quin potius multis oneribus, variis tentationibus, severisque desolationibus opprimi soluerunt.

In his tamen omnibus animo fortes se præstiterunt, eoque magis fidem in Deo quam in se posuerunt, memores semper: *quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam* promerendam. (Rom. VIII. 18.)

Tune statim habere vis, quod plurimi post multas lacrymas arduosque labores vix obtinuerunt?

Exspecta Dominum, viriliter age et confortare, noli diffidere, noli recedere, quinimo corpus et animam ob gloriam Dei periclitari ne dubites. (Ps. XXVI. 14.)

Ego enim ex integro retribuam, *ego tecum ero in omni tribulatione.* (Ps. XC. 15.)

CAPUT XXXVI.
CONTRA VANA HOMINUM IUDICIA.

1. Fili, vide ut cor tuum in Domino firmiter defigas, nec iudicia hominum metuas, quum conscientia te pium et insontem comprobat.

Eo modo pati bonum beatumque est, nec arduum hoc erit, dummodo corde sis humili, atque Deo magis quam tibi ipsi confidenti.

Multi nimium loquuntur, ideoque fides parce est adhibenda.

At nec fieri potest ut omnibus satisfiat.

Atque etiamsi Paulus conatus sit omnibus placere in Domino, et *omnibus omnia factus est*, attamen etiam minimi duxit, *quod ab humano die iudicatus fuit*. (I. Cor. IX. 12. — I. Cor. IV. 3.)

2. Gratia boni salutisque aliorum pro viribus et quantum poterat, satagebat, cohibere tamen, quominus ab aliis subinde perstringeretur vel sperneretur, non poterat.

Ob eam rem totum Deo commisit, quippe qui totum noverat, atque se contra maledica labia,

aut etiam contra vane et inique cogitantes, et ad suum libitum varia iactantes, cum patientia et humilitate defendit.

Respondit tamen interdum, ne ex taciturnitate sua infirmis scandalum oriretur.

3. *Quis tu, ut timeas a mortali homine.* Hodie est, cras iam non comparet. (Is. II. 12.) = 51

Time Deum, tum terriculamenta humana non expavesces.

Quid potest aliquis adversum te verbis vel iniuriis? Sibi potius nocet quam tibi, nec iudicium Dei, quisquis ille sit, effugere poterit.

Tu Deum ante oculos habeto, nec verbis querulosis contendito.

Si impræsentiarum succumbere et confusionem pati videaris quam non merueras, eapropter ne indignare, nec impatiens coronam tuam deminuas.

Sed potius ad me in cœlum suspice, qui potens sum ad eripiendum te ex omni confusione et iniuria, et *unicuique reddere secundum opera sua.* (Rom. II. 61. Matth. XVI. 27.)

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

CAPUT XXXVII.

DE PLENA ET INTEGRA SUI DEDITIONE, AD CORDIS LIBERTATEM ASSEQUENDAM.

1. Fili, relinquas temet, tum me invenies.

Cave omnem delectum, omneque dominium, et semper lucraberis.

Nam enim, simul ac te dedideris, nec ad solita rediveris, gratia abundantior tibi adiicietur.

2. Domine, quoties vis me dedam, et ad quas res me restringam?

3. Semper, et quaque hora: in exilioribus perinde atque in summis. Nihil excipio, quin omni re te nudatum inveniendum volo.

Alioquin quomodo poteris esse meus, ego autem tuus, nisi omni voluntate propria interius et exterius orbatus sis?

Quo ocyus hoc feceris, eo melius tibi erit, atque quo penitius et magis ex corde, eo magis mihi placebis ampliusque mereberis.

4. Quidam sese dedunt, sed lege quadam adiecta; Deo enim non plene confidunt, sicque sibi consulere conantur.

Nec desunt qui primum se totos offerunt, sed tentatione expugnati ad sua redeunt: et ideo in virtute minime proficiunt.

Hi ad veram libertatem cordis puri et ad gratiam familiaritatis meæ iucundæ non pertingent, nisi se prius ex integro dedant seque quotidie immolent, sine qua unio frugifera et delectabilis nec consistit nec consistet.

5. Sæpe iam te monueram, et nunc iterum te moneo: Age, relinquas temet, dedas te: tum pace interna uberrima frueris.

Dedas totum pro toto; exquire nihil, repete nihil; persevera in me plane et constanter, tum habebis me.

Liber eris tunc corde, nec tenebræ te obruent.

Ad hoc assequendum conare, hoc unum ora, hoc anhela, ut dominio omnium bonorum exutus, Iesum nudum nudus sequi, tibi mori, mihi autem in sempiternum vivere possis.

Tunc omnes vanæ phantasiæ, conturbationes nequam curæque supervacaneæ cessabunt.

Tunc etiam timor immoderatus recedet, atque amor intemperatus emorietur.

CAPUT XXXVIII.
DE PROPRIO REGIMINE IN EXTERNIS, DEQUE RECURSU AD DEUM IN PERICULIS.

1. Fili, ad hoc tibi sedulo enitendum erit, ut in omni loco, et in omni actu vel occupatione externa, interius liber, tuique potens sis, atque ut omnia tibi subsint, tu autem nullis ;

Ut sis actionum tuarum dominus et rector, non autem servus, nec emptitius ;

Quin potius sis exemptus verusque Hebræus, ad sortem, ad libertatem, filiorum Dei provectus :

Qui in medio præsentium constituti, æterna speculantur, qui peritura lævo oculo contuentur, dextro autem cœlestia ;

Quos temporalia ad inhærendum non illectant, sed potius qui temporalia sibi subigunt, ut ea sibi rite servire possint, ut a Deo institutum, et a Summo Opifice præstitutum est, qui in sua creatura nihil reliquerat inconcinnum.

2. Si porro, in quolibet eventu non speciei rerum externæ inniteris, nec quæ audias videas-

que oculis carnis contueberis, sed quum res quælibet postulat, cum Mose mox in tabernaculum ingrederis ut Dominum consulas, audies nonnunquam divinum responsum, revertesque de multis, quæ præsentia aut futura sint, edoctus.

Moses enim ad dubia et ad quæstiones solvendas in tabernaculum recurrere consuevit, perinde atque ad adminicula precum confugere, sublevamen a periculis hominumque improbitatibus quæsiturus.

Sic et tibi, suffragium consilii Divini imploratum, cordis tui penetralia ineundum erit.

Namque Iosue filiique Israel, a Gabaonitis propterea decepti feruntur, *quia os Domini prius non interrogaverunt*, sed nimium creduli, sermonibus speciosis falsa pietate delusi sunt. (Iosue IX. 14.)

CAPUT XXXIX.

QUOD HOMO IN NEGOTIIS IMPORTUNUS NE SIT.

1. Fili, causam tuam semper mihi committe, ego ei opportuno tempore consulam.

Exspecta decretum meum, profectum ex eo comperies.

2. Domine, res meas tibi sat libenter committam, sententia enim parum proficio.

Utinam eventibus futuris minus essem intentus, sed ad ea quæ tibi placent quærenda me traderem!

3. Fili non raro fit, ut quis ea, quæ præcipue appetit, vehementer prosequatur; at quum ea assequitur, sententia mutatur, affectiones enim erga eas res inconstantes sunt, et ab una ad aliam impellunt.

Ipsum ergo se relinquere, vel in minimis, minimum nequaquam est.

4. Verus progressus hominis deditio sui ipsius est, atque homo sic deditus, liberrimus maximeque securus est.

At inimicus vetus, rebus bonis cunctis infensus, tentare non cessat, sed die-noctuque graves molitur insidas, si forte incautum laqueo deceptionis irretiri possit.

Vigilate et orate, ait Dominus, *ut non intretis in tentationes.*

CAPUT XL.
QUOD HOMO EX SE NIHIL BONI HABEAT, ET QUOD DE NULLA RE GLORIARI POSSIT.

1. *Domine, quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum.* (Ps. VIII. 5.)

Quid promeruit homo, ut tu illi gratiam tuam largiaris?

Domine, quid possum conqueri, si me deseras? Aut quid iuste obtendere possum, si, quod petam, mihi neges?

Certe hoc in veritate cogitare dicereque potero: Domine, nihil sum, nihil possum, nihil ex me boni habeo, sed in omnibus deficio, semperque ad nihilum tendo.

Atque nisi a te adiutus et interius informatus fuero, totus efficior tepidus et dissolutus.

2. *Tu autem, Domine, semper idem ipse es, et permanes in æternum,* semper bonus, iustus et sanctus, omnia recte, iuste et sancte statuens, sapienterque disponens. (Ps. CI. 28 & 13.)

Sed ego, qui in defectum magis sum pronus quam in profectum, memet in uno statu continere nequeo, quia *septem tempora mutantur super me.* (Daniel IV. 13, 20, 22.)

Verumtamen, quum tibi placet, manumque adiutricem porrigis, res contestim in melius vertuntur; tu enim solus potens es, qui sine suffragio humano succurrere possis, et sic communire, ut vultus meus non amplius in contrarium mutetur, sed cor meum ad te unum convertatur et in te conquiescat.

3. Adeoque, si scirem, quemadmodum omnem consolationem humanam missam faciam, sive ut pietatem adipiscar, sive ob necessitatem, qua ad te quaerendum adigor, nemo enim est qui me consoletur;

Tunc gratiam tuam sperare merito possem, perinde ac de dono consolationis novae exsultare.

4. Gratias habeo tibi, a quo totum venit, quandocunque res mihi ex sententia succedunt.

At ego, homo inconstans et infirmus, vanitas et nihilum sum coram te.

Ergo unde queam ego gloriari, aut cur magni reputari gestiam?

Numquid ob nihilum? At hoc vanissimum est.

Gloria profecto inanis ea est, mala pestis, vanitas summa, quia a vera gloria abducit, atque gratia cœlesti spoliat.

Dum enim homo sibi complacet, tibi displicet; dum laudibus humanis inhiat, veris virtutibus privatur.

5. Est autem vera gloria, sanctaque exsultatio, in te, non vero in se, gloriari, gaudere nomini tuo, non propriæ virtuti, nec ulla creatura, nisi propter te, gloriari.

Laudetur nomen tuum, non meum; magnificetur opus tuum, non meum; benedicatur nomini sancto tuo, nec mihi e laudibus hominum quidquam adtribuatur.

Tu gloria mea, tu exsultatio cordis mei es.

In te gloriabor et exsultabo toto die, in me autem nequaquam, *nisi in infirmitatibus meis.* (II. Cor. XII. 5.)

6. Quærant Iudæi *gloriam, quæ ab invicem est:* ego eam requiram, *quæ a solo Deo est.* (Ioan. V. 44.)

Omnis etenim gloria humana, omnis honor temporalis, omnis celebritas mundana, gloriæ tuæ æternæ comparata, vanitas est et stultitia.

O veritas mea et misericordia mea, Deus mi, Trinitas beata! tibi soli laus, honor, virtus, et gloria, per infinita sæculorum sæcula.

CAPUT XLI.

DE SPERNENDIS CUNCTIS HONORIBUS TEMPORALIBUS.

1. Fili, noli succensere, si alios honorari et evehi videas, te autem despici et humiliari.

Erige cor tuum ad me, in cœlum, nec ab hominibus in terris contemni te contristabit.

2. Cœcutimus, Domine, atque vanitate facile seducimur.

Si me rite intueor, mihi a nulla unquam creatura iniuriam illatam fuisse intelligo, unde nec habere comperio quare adversum te conquerar.

Quoniam autem sæpe graviterque contra te peccaveram, merito in me insurgit omnis creatura.

Mihi igitur iuste debetur confusio et contemptus, tibi autem laus, honor et gloria.

Atque, nisi me ad id præparem, ut ab omni creatura libenter sperni, derelinqui, ac penitus nihil videri velim, nec interne pacari et firmari, nec spiritu illuminari, neque tibi penitus uniri potero.

CAPUT XLII.

QUOD PAX AB HOMINIBUS REPETENDA NON SIT

1. Fili, si gratia tui commodi tuique cum hominibus convictus pacem ab ulla persona repetis, instabilis eris et implicatus.

Verum si veritati semper vivæ semperque manenti inniteris, nec recessus nec mors amici te contristabit.

Dilectio amici me nitatur oportet, nec ullus, qui tibi hac in vita bonus et admodum charus visus sit, nisi propter me, est diligendus.

Sine me nec valet nec perseverat amicitia, neque vera puraque est dilectio quam ego non colligavi.

Affectionibus id genus erga homines charos, te ita mortuum esse decet, ut quantum in te situm sit, omni hominum consortio seiunctus esse malis.

Tanto quisque magis ad Deum appropinquat, quanto ab omni terreno solatio longius recedit.

Tanto quoque propius ad Deum ascendit, quanto profundius in se descendit, et plus sibi ipsi vilescit.

2. Qui vero sibi quidquam boni arrogat, gratiam Dei ad se venire prohibet, gratia siquidem Spiritus Sancti semper cor humile quærere solet.

Si te penitus ad nihilum reducere, omnemque amorem creatum exuere scires, meum esset in te uberem gratiæ meæ rorem effundere.

Quum tu vultum ad creaturas convertis, subducitur tibi aspectus Creatoris.

Disce temet, propter Creatorem, in cunctis rebus vincere; tunc ad cognitionem rerum divinarum temet sublevare poteris.

Quam modicum cunque demum sit id, siquid ultra fas æstimatur ac diligitur, vitiat te, et a summo devertit.

CAPUT XLIII.

CONTRA VANAM ET MUNDANAM SCIENTIAM.

1. Fili, cave speciose subtiliterque dicta hominum te moveant. *Non enim est regnum Dei in sermone sed in virtute.* (I. Cor. IV. 20.)

Animadverte verba mea, quæ corda accendunt, mentes illuminant, animum contritum facessunt, variamque consolationem impertiunt.

Ne verbum quidem eo fine legas, ut doctior, vel sapientior videaris.

Enitere ut vitia eneces, hoc enim plus tibi proderit, quam plurimas difficillimasque quæstionum ambages perspexisse.

2. Quum multa legeris et cognoveris, iuvabit semper ad unum principium redire.

Ego sum qui hominem scientiam doceo, qui vel ætatulis clariorem intelligentiam impertio, quam quæ ab ullo homine largiri possit.

Ad quem ego loquor, protinus fit sapiens, et in spiritu multum proficiet.

Væ iis, qui ab hominibus multa curiosa sciscitantur, quique de modo mihi serviendi parum curant.

Tempus adveniet, quum magister magistrorum, Christus, Angelorum Dominus, comparebit, pensa cunctorum auditurus, hoc est, conscientias singulorum examinaturus.

Atque tunc *scrutabitur Ierusalem in lucernis, — et manifesta erunt abscondita tenebrarum*, argumenta autem linguarum tacebunt. (Sophon. I. 12 — I. Cor. IV. 5.)

3. Ego sum, qui mentem modestam in puncto temporis elevo, ut plures rationes æternæ veritatis capere valeat, quam si quis discendo denos annos in ludo transegisset.

Ego sine verborum strepitu doceo, sine confusione opinionum, sine fastu honoris, sine pugnatione argumentorum.

Ego sum, qui doceo terrena despicere, præsentia fastidire æterna sapere, honores fugere, scandala sufferre, omnem spem in me ponere, extra me nihil cupere, et supra omnia, me ardenter amare.

4. Quidam enim me amando divina intime didicerat, et loquebatur mirabilia.

Plus ille profecerat omnia relinquendo, quam subtilibus studendo.

Verum ad alios communia loquor, ad alios specialia, aliquibus in signis ac figuris suaviter appareo, demum, quibusdam in multo lumine revelo mysteria.

Una est vox librorum, sed ea non omnes æque informat; doctor enim veritatis interior ego sum, qui corda scrutor, qui cogitata perspicio, actiones promoveo, largiens cuique ut æquum iudico.

CAPUT XLIV.
DE REBUS AD SE NON TRAHENDIS.

1. Fili, præstabit ut rerum multarum sis inscius atque existimare *te tamquam mortuum super terram, et cui totus mundus crucifixus est.* (Col. III. 3.)

Iuvabit quoque multa surda aure præterire, atque ea quæ ad pacem tuam faciunt potius meditari.

Satius est oculos a visu minus gratis avertere, et cuique suam sententiam relinquere, quam sermonibus contentiosis deservire.

Si tibi cum Deo bene fuerit, eiusque iudicium præ oculis gesseris, te victum esse facilius feres.

2. O Domine, quo tandem devenimus? En, iactura temporalis defletur, gratia quæstus exilis laboratur ac curritur, detrimentum spiritale oblivioni traditur, vix in memoriam unquam revocandum.

Quod parum vel nihil prodest, de eo sollicitamur, quod vero summe necessarium est, negligenter præteritur: quia homo totus ad exteriora diffluit, ac nisi mox resipiscat, in exterioribus pronus iacet.

CAPUT XLV.
QUOD OMNIBUS CREDENDUM NON SIT; ET DE FACILI LAPSU VERBORUM.

1. Da mihi *auxilium*, Domine, *de tribulatione, quia vana salus hominis*. (Ps. LIX. 13.)

Quam sæpe fidem ibi non reperi, ubi me habere putabam!

Quoties etiam ibi inveni, ubi minus præsumpseram!

Vana ergo spes est in hominibus, salus autem iustorum in te est, Deus.

Sis benedictus, Domine Deus mi, in omnibus quæ nobis eveniunt.

Infirmi sumus et instabiles; facile fallimur et mutamur.

2. Quis hominum est, qui in omnibus ita caute ac circumspecte se custodire valeat, ut non aliquando aliquam deceptionem vel perplexitatem incidat?

At qui in te, Domine, confidit, et te ex corde quærit simplici, haud tam facile labitur.

Si vero in tribulationem quamdam incidat, utcumque implicatus fuerit, per te nullo labore eruitur, vel a te consolabitur, eum enim, qui in te sperat, ad ultimum non deseris.

Amicus fidus, qui amico, rebus adversis iactato, hæret, rarus est.

Tu Domine, tu solus es fidelis ex omnibus, ac præter te, talis nullus est.

3. O quanta fuit sapientia anima illa sacra, quæ dixerat: *Mens mea solidata est et in Christo fundata.* (S. Agatha; cf. vitam eius in Act. SS. 5. Febr.)

Si idem de me valeret, timore hominum minus facile angerer, nec iacula verbonum me commoverent.

Quis omnia prævidere, quis futura mala præcavere sufficit?

Si etiam prævisa sæpe non lædunt, quid aliud ab improvisis speras, nisi ut sævius feriant.

Sed quare ego mihi misero cautius non provideram? Cur etiam aliis tam facile credidi?

Verum, homines sumus, nec aliud nisi fragiles homines sumus, etiamsi aliquibus placeat nos angelos existimare et appellare.

Cui credam, Domine, nisi tibi? Tu enim veritas es, falli fallereque nescia.

Ac rursum : *Omnis homo mendax*, imbecillis, instabilis et verbis maxime labilis, ita ut si etiam verba sua veritatis speciem præ se ferre videantur, statim tamen credi non debeant. (Ps. LXI. 9.)

4. Quam sapienter monueras, *cavendum ab hominibus, et quia inimici hominis domestici eius;* nec credendum si quis dicat : *Ecce hic, aut ecce illic.* (Mich. VII. 6; Matth. X. 17 et 36; Matth. XXIV. 23 ; Marc. XIII. 21 ; Luc. XVII. 23.)

Doctus sum damno meo, atque utinam ad cautelam accuratiorem, non autem ad insipientiam mihi.

Esto cautus, monuit quidam, esto cautus, quod dixeram, mente repositum servato. At dum ego sileo monitumque custoditum puto, ille reticere, quod silentio se pressurum spoponderat, non potest, sed et me et se prodit, et sua via abit.

A fabulis hoc genus, hominibusque incautis, custodi me Domine, ne in manus eorum incidam, nec unquam talia committam.

Verbum verum ac stabile ori meo impone, linguam autem callidam a me arceas.

Quod pati renuo, omnimode vitare debeo.

5. O, quanto bono est quantamque pacem conciliat de alio silere, nec omnia promiscue credere, neque rumores latius facile spargere,

propriam mentem paucis tantum aperire, te eum nonnisi qui cor scrutatur quærere, nec omni vento verborum circumferri, sed cuncta interna externaque ad lubitum voluntatis tuæ fieri optare!

Quam tutum est causa conservandæ gratiæ cœlestis apparentiam humanam fugere, nec ea, quæ per speciem mira ac stupenda visui offerunt, sed ea omni sedulitate sectari, quæ ad emendandam vitam et ad fervorem augendum conferunt!

Quam multis fuit virtus aliis nota ac præpropere laudata, exitio!

Quam profuit, vicissim, gratia silentio servata in hac vita inbecilli, quæ tota nihil nisi tentatio ac militia prædicatur.

CAPUT XLVI.
DE CONFIDENTIA IN DEO PONENDA, QUUM VERBORUM IACULA INSURGUNT.

1. Fili, persevera firmus, et spera me. Quid enim sunt verba, nisi verba? Pervolant aerem, lapidem tamen non lædunt.

Si iaculis his tactum te sentias, memento te facile emendare posse si velis.

Si conscius nullius rei es, cogita tecum, iniuriam hanc propter Deum te libenter sustinere velle.

Parum est a te verba nonnisi interdum æquo animo ferri, qui plagas severiores tolerare nondum didiceras.

Eccur minutias idgenus succenses, nisi quod carnalis es adhuc, et quod homines, plus quam æquum est curas?

Nam quia despici times, ob excessus reprehendi detrectas, atque excusationum umbracula quæritas.

2. Verumtamen inspice te profundius, tum mundum adhuc in te vivere, vanumque hominibus placendi amorem in te vigere deprehendes.

Quum enim in ultimis haberi et ob defectus tuos confundi verearis, palam certe est quod nec vere submissus sis, *nec vere mundo mortuus, nec mundus tibi crucifixus.* (Gal. VI. 14.)

Sed audi verbum meum, ac tum decem millia verba hominum non curabis.

Quid? si cunctæ calumniæ, quæ flagitiosissime contra te effingi queant, tibi infligerentur, quid tibi nocerent, si eas incurius præterires, nec eas, plus quam hilum animadverteres? Numquid eæ tibi vel capillum evellere possent?

3. Verum cui nullum in pectore cor, nec Deus ante oculos, verbo detractorio facile commovetur.

At qui in me confidit, nec proprio iudicio insistere ambit, homines eum non terrebunt.

Ego enim sum Iudex, secreta omnium mihi cognita, ego scio quemadmodum res acta sit: ego auctorem ac fautorem iniuriæ novi.

A me exit verbum illud, meoque indultu hoc accidit: *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* (Luc. II. 35.)

Ego iudicabo tam reum quam innocentem, volui tamen utrumque in antecessum occulto iudicio probare.

4. Testimonium hominum sæpe fallit, at meum iudicium verum est, stabitque, nec evertetur.

Idem tamen plurimos fugit, nec nisi paucis totum patet, nunquam tamen errat, nec errare potest, etiamsi oculis insipientium haud rectum videatur.

Ad me ergo recurrendum est in omni iudicio, nec proprio innitendum arbitrio.

Iustus enim non conturbabitur, quidquid ei a Deo acciderit. Quin etiam, si quid adversum eum iniusti prolatum fuerit, non multum curabit. (Prov. XII. 21.)

Sed nec vane exsultabit, si ipse per alios rationi congruenter excusetur.

Perpendit etenim, quod *ego sum scrutans corda et renes*, qui non ex vultu, nec ex specie hominum iudico. (Ps. VII. 10; Apoc. II. 23.)

Nam in oculis meis non raro culpabile reperitur, quod hominum iudicio laudabile reputatur.

5. Domine Deus, Iudex iuste, fortis et patiens, qui fragilitatem pravitatemque hominum nosti, esto robur meum ac fiducia mea tota; non enim sufficit mihi conscientia mea.

Tu nosti, quod ego non novi: ideoque in qualibet reprehensione me submittere debui et mansuete perferre.

Ignosce quoque mihi benigne, quoties non sic egerim, largireque iterum gratiam ad amplius ferendum.

Ad consequendum etenim tuam indulgentiam, copiosa tua misericordia mihi præstabilior est quam reputata mea iustitia ad propugnandam conscientiam delitescentem.

Et si nihil mihi conscius sum tamen in hoc iustificare me non possum: quia remota misericordia tua *non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* (I. Cor. IV. 4.)

CAPUT XLVII.
QUOD CAUSA VITÆ ÆTERNÆ CUNCTA ARDUA PERFERENDA SINT.

1. Fili, vide ne ii labores, quos causa mei subiveras, nec tribulationes te penitus deiiciant, sed sit tibi promissio mea in omni eventu munimento ac solatio.

Ego enim sufficio ad reddendum cuique ultra omnem modum et mensuram.

Non diu hic laborabis, nec doloribus semper gravaberis.

Persevera paulisper, atque celerem finem malorum videbis.

Veniet certa hora, quum omnis labor ac tumultus cessabit.

2. Age quod agis; fideliter labora in vinea mea, *ego ero merces tua.* (Gen. XV. 1.)

Scribe, lege, cane, geme, tace, ora, adversa pro parte virili perfer: his omnibus, quin et maioribus prœliis digna est vita æterna.

Veniet pax *in die una, quæ nota est Domino. Et erit non dies, neque nox*, huius nempe temporis, sed lux æterna, claritas infinita, pax firma, atque quies secura. (Zach. XIV. 7.)

Tunc non dices: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* — neque clamabis: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* — quandoquidem mors præcipitabitur, salus erit nunquam defectura, anxietas nulla, iucunditas beata, societas suavis et decora. (Rom. VI. 14.—Ps. CXIX. 5.)

3. O si vidisses coronas Sanctorum in cœlo perpetuas, quanta vel nunc exsultant gloria, qui olim in hoc mundo contemnendi et vix ipsa vita digni reputabantur; quæ si perpendas, temet statim ad terram usque humiliare, atque potius omnibus subesse, quam vel uni præesse malles.

Nec lætos dies huius vitæ concupisces, sed satius duceres ob Deum tribulari, et apud homines nihili æstimari pro summo lucro haberes.

4. O modo si hæc tibi saperent, profundaque cordis tui penetrarent, quomodo vel semel conqueri auderes?

Nonne gratia vitæ æternæ cuncta ardua tolerenda sunt?

Non est quid parvi regnum Dei perdere aut lucrari.

Erige igitur vultum tuum ad cœlum. Nam ego, Sanctique mei omnes una, qui in sæculo hoc certamen summum sustinuere, modo gaudent, modo solantur, modo securi sunt, modo requiescunt, atque mecum, in regno patris mei, sine fine permanebunt.

CAPUT XLVIII.

DE DIE TERNITATIS, DEQUE VIT HUIUS ANGUSTIIS.

1. O mansionem supernæ civitatis beatissimam! O diem æternitatis clarissimam, quam nox non obscurat, sed suprema veritas semper irradiat, diem semper lætum, semper securum, qui statum tuum in contrarium nunquam mutas!

O utinam dies ille iam illuxisset, cuncta autem ista temporalia finem accepissent!

Lucet quidem ipse Sanctis, claritate perpetua splendidus, sed e longinquo tantum atque per speculum iis, qui in terra peregrinantur.

2. Civibus cœlorum notum est, quam dies ille gaudii plenus sit, exsules autem Evæ filii istum amarum tædioque asperum gemunt.

Dies huius temporis parvi et mali, doloribus angustiisque pleni: ubi quis se multis peccatis inquinat, qui pravis animi affectibus irretitur, quem terriculamenta plurima angunt, qui curis nimiis distenditur, curiositate ultra modum distrahitur,

rebus vanis iusto plus implicatur, erroribus variis capitur, laboribus nimiis atteritur, tentationibus obruitur, luxu enervatur, aut, demum, egestate opprimitur. (Gen. XLVII. 9.)

3. O quando adveniet finis horum malorum? Quando evadam miseram peccatorum servitutem?

Quando ero, Domine, tui solius memor? Quando ex integro in te lætabor?

Quando potiar, omni obice immunis, vera libertate, sine omni gravamine mentis et coporis?

Quando fiet pax firmata, pax secura, quæ perturbari nequeat, pax intra et extra, pax ex omni parte stabilis?

Iesu bone, quando stabo coram te ut te videam? Gloriam regni tui quando contemplabor? Quando fies mihi omnia in omnibus?

O quando ero tecum in regno tuo, quod dilectis tuis ab æterno præparasti?

Pauper et exsul sum relictus in terra hostili, ubi bella quotidiana ac discrimina summa insidiantur.

4. Consolare exsilium meum, alleva dolorem meum, quia omne desiderium meum ad te suspirat. Etenim, omne id quod mundus hic mihi in solatium offert, onus mihi est.

Te intime frui desidero, sed apprehendere te nequeo.

Animo cœlestia amplecti cupio, verum res terrestres affectusque indomiti me deprimunt.

Animo supra omnes res constitutum esse anhelo, carne tamen, ut omnibus subsim, adigor.

Sic igitur ego, homo infortunatus, mecum pugno, *et factus sum mihimet ipsi gravis*, simul enim dum mens sursum tendit, caro ima quærit. (Iob VII. 20.)

5. O quantum in intimis patior, dum mente cœlestia contemplor, quum mihi oranti: *Deus meus, ne elongeris a me, neque declines in ira a servo tuo,* turbæ carnalium irruunt! (Ps. LXX. 12.)

Fulgura corruscationem tuam et dissipa eas, *emitte sagittas tuas*, tum omnes phantasiæ inimici conturbentur. (Ps. CXLVI. 6.)

Recollige, Deus mi, sensus meos ad te; fac me omnium mundanorum oblivisci; fac ut phantasmata peccatorum extemplo contemnam et excutiam.

Succurre mihi Veritas æterna, ut nulla unquam vanitas me moveat.

Adveni suavitas cœlestis, omne autem quod impurum est, vultum tuum fugiat.

ignosce quoque mihi et misericors parcas, si quando oranti, præter te, aliud quid subrepat.

Fateor etenim ingenue non raro fieri ut mens mea ab officio avocetur.

Nam multoties mente non ibi sum ubi corpore stare aut sedere mihi contingit, sed potius ibi versor quo cogitationes me abripiunt.

Ibi sum ubi cogitatio mea est. Cogitatio autem mea plurimum ibi est, ubi quod amo est.

Facillime id mihi incidit quod natura sua me delectat, aut e consuetudine placet.

6. Hinc, Tu, Veritas, disserte dixisti: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* (Matth. VI. 21.)

Si cœlum diligo, libentissime de cœlestibus meditor.

Si mundum amo, felicitatibus mundi congaudeo, adversitatibus autem eius contristor.

Si vero carnem diligo, quæ carnis sunt sæpius in animo verso.

Si spiritum amo, de spiritalibus cogitando delector.

Quæcunque enim diligo, de iis libentissime loquor et audio, atque imagines rerum talium mecum domum reporto.

Sed beatus est is, qui propter te, Domine, cunctas res creatas missas facit; qui naturæ vim infert, carnisque concupiscentias spiritu ardenti crucifigit: ut conscientia serenata preces puras coram te effundat, utque dignus habeatur qui choris Angelicis intersit, terrenis omnibus, foris et intus, exclusis.

CAPUT XLIX.

DE DESIDERIO VITÆ ÆTERNÆ, ET QUANTA BONA SINT DIMICANTIBUS PROMISSA.

1. Fili, quum tibi desiderium beatitudinis æternæ desuper infundi sentis, et e compagine corporis egredi optas, ut claritatem meam coram, sine umbra vicissitudinum, contemplari possis, pande cor tuum, et hanc sacram inspirationem omni desiderio suscipias.

Bonitati supernæ uberrimas redde gratias, quæ erga te tanta benignitate est, te clementer visitat, te ardenter excitat, potenter sublevat, ne proprio pondere ad terrena ruas.

Nec hoc, cave, proprio ingenio aut conatu te accipere arbitreris, sed sola dignatione supremæ gratiæ ac respectus Divini: eo nempe, ut in virtutibus, et in humilitate profundiori proficias, utque ad futura certamina te præpares, et ut mihi toto cordis affectu hærere, ferventique voluntate coneris deservire.

2. Fili, sæpe fit ut ignis ardeat, sed flammia sine fumo, nunquam exsurgit.

Perindeet desideria quorundam versus cœlestia flagrant, nec tamen sunt a tentatione affectuum carnalium liberi.

Idcirco nec omnis rei prorsus immunes ob honorem Dei agunt, quum ab eo tanta cupidine petant.

Tuum quoque desiderium non raro eiusmodi est, ut quum id valde urgere innuis.

Id enim omne quod proprium commodum redolet, purum ac perfectum non est.

3. Noli id petere quod tibi commodum delectabileque sit, sed quod mihi est acceptabile et honorificum: quia si recte iudicas, statutum meum tuo proprio desiderio, tuisque votis anteponas, et ut id sequaris, oportet.

Desideria tua novi, crebros gemitus tuos audivi.

Iam in libertate gloriæ filiorum Dei esse anhelas, iam te æterna domus in patria cœlesti gaudiis plena delectat: at hora illa nondum advenit, sed aliud adhuc superest tempus, belli nimirum, tempus laboris ac probationis.

Optas summo bono repleri, verum, impræsentiarum, hoc assequi nequis.

Ego sum; exspecta me ait Dominus, *donec veniat regnum Dei.* (Luc. XXII. 18.)

4. Adhuc in terris es probandus, multisque rebus exercitandus.

Consolatione interdum recreaberis, satietas tamen copiosa tibi non concedetur.

Confortare igitur, et esto robustus officio postulante, tum ad Suscipiendum, tum ad patienter ferendum, quod naturæ tuæ repugnat. (Iosue I. 7.)

Oportet te novum induere hominem, teque in novum hominem mutari. (Ephes. IV. 24; ac I. Reg. X. 6, 9.)

Non raro faciendum tibi est, quod facere non libet, omittere, quod facere liberet.

Quod aliis placet, progredietur, quod tibi placuerit, non proficiet.

Quod alii dicunt, audietur; quod tu dicis, pro nihilo computabitur.

Petant alii, accipient; petas tu, non impetrabis.

5. Alii magni erunt in ore hominum, de te autem tacebitur.

Aliis hoc vel illud committetur, tu autem ad nihil utilis iudicaberis.

His rebus homo, interdum, suapte natura contristatur, attamen, si hoc silentio feras, opus non exiguum præstas.

Istis, similibusque plurimis, solet fidus Domini servus probari, quemadmodum cuncta sibi negare, suosque nisus comprimere possit.

Vix quidquam est, cui te magis mortuum esse oporteat, quam videndo et patiendo ea quæ nisui tuo adversa comperiantur, præsertim autem quum incommoda, quæque tibi minus utilia parent, a te fieri iubeantur.

Et quia sub domino constitutus potestati potiori resistere vereris, ad nutum alterius obtemperare, omnemque sententiam propriam posthabere, durum tibi videbitur.

6. At vero, reputa, fili, fructum horum laborum, celerem finem, atque *præmium nimis magnum*, tum gravamine carebis, imo solamine, denique patientiæ firmissimo munieris. (Gen. XV. 1.)

Nam et in vicem huius voluntatulæ, quam nunc tua sponte reprimis, olim in cœlo eam semper adimpletam cernes.

Quippe ibi reperies omne id quod tibi in votis fuerat, omne id cuius desiderio ardebas.

Ibi aderit tibi copia bonorum omnis generis, sine timore amittendi.

Ibi voluntas tua semper una eademque cum mea erit, nec quidquam extranei aut privati concupiscet.

Ibi nemo tibi resistet, nemo de te conqueretur, nemo te impediet, nihil tibi obsistet ; sed cuncta desiderata protinus præsentia fient, omnesque

cordis affectus tui recreabunt eosque affatim complent.

Ibi pro contumelia perpessa gloriam retribuam, *pallium laudis pro mœrore*, pro loco novissimo *sedem regni in sæcula.* (Is. LXI. 3; 1. Machab. II. 57.)

Ibi apparebit fructus obedientiæ, gaudebunt opera pœnitentiæ, humilis autem sui subiectio gloriose coronabitur.

7. Nunc ergo humiliter substerne te manibus omnium, nec sit tibi curæ, quis hoc dixerit vel iusserit.

Sed unum hoc summopere curato, ut sive Prælatus, sive te minor, aut æqualis, aliquid a te exigat, vel tibi innuat, in bonam partem accipias, et id sincera voluntate adimplere coneris.

Quærat unus hoc, alius illud, glorietur iste in hoc, ille in eo, laudeturque ille millium millies, tu vero nec in hoc, nec in illo, sed in proprio tui contemptu, et in mihi soli placendo, et in meo honore.

Illud optandum est tibi, *ut sive per vitam, sive per mortem Deus semper in te glorificetur.* (Philip. III. 20.)

CAPUT L.

QUEMADMODUM HOMO DESOLATUS, SE IN MANUS DEI OFFERRE DEBEAT.

1. Domine Deus, Pater sancte, sit tibi nunc et in sempiternum, benedictum, quod factum est ut voluisti, et quod tu facis, bonum est.

Lætetur servus tuus in te, non in se, nec in quolibet alio; quia tu solus es lætitia vera, tu es spes mea, tu corona mea, tu es gaudium meum, tu honor meus, Domine.

Quid habet servus tuus, nisi quod a te accipit, etiam quin mereatur? (I. Cor. IV. 7.)

Tua sunt omnia, quæ tu dederas et quæ tu feceras.

Pauper sum, et in laboribus, a iuventute mea, et animus meus nonnunquam ad lacrymas usque contristatur, quandoque etiam conturbatur intra se, propter motus impendentes. (Ps. LXXXVII. 16.)

2. Gaudium pacis exopto, pacem filiorum tuo-

rum flagito, qui a te in lumine consolationis pascuntur.

Si pacem confers, si sacrum gaudium mihi infundis, animus servi tui modulatione cantici, piaque laude tui, replebitur.

Verum, si tute mihi, ut non raro soles, subduxeris, *currere viam mandatorum tuorum* non poterit, quin potius genua eius ad plangendum pectus inflectentur ; quia ei non idem fit quod heri ac nudiustertius *quando splendebat lucerna tua super caput eius, — et sub umbra alarum tuarum protegebatur a tentationibus irruentibus.* (Iob XXIX. 3;— Ps. XVI. 8.)

3. Pater, iuste et semper laudande, venit iam hora, ut servus tuus probetur.

Pater amande, dignum est ut servus tuus, gratia tui, hac hora aliquid patiatur.

Pater, in sempiternum venerande, iam advenit hora, quam ab æterno præsciebas adfuturam, quum servus tuus ad modicum saltem tempus externe succumbat, vivat tamen semper apud te interne.

Ut vilipendatur paucillum, humilietur et deficiat coram hominibus, motibus licet ac languoribus conteratur, ut mox tecum in aurora novi luminis iterum resurgat, et in cœlestibus clarus refulgeat.

Pater sancte, sic tu voluisti et sic statuisti, factum quoque est quod præceperas.

4. Gratia enim erga amicum tuum ea est, ut ipse, ob tuum amorem, quotiescunque et ut a quocumque id fieri concedas, patiatur ac tribuletur in hoc mundo.

Sine consilio et providentia tua, atque *sine causa nihil fit in terra.* (Iob V. 6.)

Bonum mihi est, Domine, *quod humiliasti me, ut discam iustificationes tuas*, et ut omnem cordis elationem atque præsumptionem a me depellam. (Ps. CXVIII. 71.)

Utile mihi est, quod *confusio cooperuit faciem meam*, ut te potius quam homines ad consolandum me invocem. (Ps. LXVIII. 8.)

Ex hoc, item, didici inscrutabile iudicium tuum expavescere, utpote qui iustum cum impio, nec sine æquitate et iustitia, affligis.

5. Gratias tibi habeo, quod pravis meis non pepercisti, sed adtrivisti me verberibus amaris, tam exterius quam interius dolores mihi infligendo, angustiasque immittendo.

Nihil est e cunctis, quæ sub cœlo sunt, rebus, quod me consoletur; nisi tu Domine, Deus mi, cœlestis medice animarum, qui *percutis et sanas*,

deducis ad inferos et reducis. (I. Reg. II. 6, et Tob. XIII. 2.)

Disciplina tua super me, et virga tua ipsa me docebit. (Ps. XVII. 36.)

6. En, Pater dilecte, in manibus tuis sum ego, sub virga correctoria tua me inclino.

Percute tergum meum et cervicem meam, ut me tortuosum voluntati tuæ adclinem.

Fac me, ut semper bene facere tuum est, pium humilemque discipulum, ut in via mea ad nutum tuum ambulem.

Me tibi, omniaque mea ad corrigendum commendo ; satius est corrigi hic quam in vita futura.

Tu novisti cuncta et singula, nec te in conscientia humana quidquam latet.

Antequam fiant, iam nosti ventura; nec eges ullo qui te ea, quæ in terra gerantur, moneat.

Palam tibi est quid ad profectum meum conducat, perinde ac quantum tribulatio ad detergendum rubiginem peccatorum valeat.

Fac mihi quod de me fieri ad lubitum statueras, nec vitam meam peccatis vitiatam despicias, quæ magis, clariusque, quam tibi, nota est nulli.

7. Da mihi, Domine, ut quod sciendum sit sciam, quod amandum sit amem, quod tibi ma-

xime placeat laudem, quod tibi dignissimum videtur, æstimem, quod, denique, coram vulto tuo ingratum est, vituperem.

Non me sinas secundum visionem oculorum exteriorum iudicare, neque secundum auditum aurium hominum imperitorum sententiare, sed potius ut recte iudicando visibilia atque spiritualia discernam, et ut præ omnibus, quid tibi volitum sit quidque placitum, semper disquiram. (Is. XI. 3.)

8. Sensus hominum iudicando sæpe falluntur; falluntur quoque amatores mundi, visibilia nonnisi amando.

Quanto est homo propterea melior, quia ab alio homine maior reputatur?

Fallax enim fallacem, vanus vanum, cœcus cœcum, infirmus infirmum decipit, dum alter alterum exaltat; quin, profecto, plus eum confundit, quo magis perperam laudat.

Nam *quantum unusquisque est in oculis tuis, tantum est et non amplius*, ait humilis Sanctus Franciscus. (Cf. Legenda de S. Francisco, a S. Bonaventura, Cap. VI., scripta.)

CAPUT LI.
QUOD QUI SUMMIS DEFICIT OPERIBUS, EI HUMILIBUS INSISTENDUM SIT.

1. Fili, in fervidiori studio virtutum semper consistere non poteris, nec in supremo fastigio contemplationis perseverare, sed, ob orginalem labem, quandoque ad inferiora tibi regrediendum est, atque onus vitæ huius corruptibilis tibi etiam invito, et cum tædio, portandum est.

Quamdiu mortale corpus geris tædio ac gravamine cordis afficieris.

Dum carnem hanc geris, de onere carnis sæpe tibi gemendum erit, quod studiis spiritus contemplationique divinæ perpetuo inhærere non vales.

2. Eo eventu expedit tibi ut ad humilia exterioraque opera confugias, ut te bonis operibus recrees, ut adventum meum et supernam visitationem firma fide exspectes, exsilium tuum et ariditatem mentis patienter feras, donec a me iterum visitatus, ab omni angore libereris.

Faciam enim ut laborum obliviscaris, quieteque interna perfruaris.

Expandam coram te prata Scripturarum, ut corde dilatato currere *incipias viam mandatorum meorum.* (Ps. CXVIII. 32.)

Tum dices: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (Rom. VIII. 18.)

CAPUT LII.

QUOD HOMO NON CONSOLATIONE DIGNUM SE IMPUTARE DEBEAT, SED POTIUS VERBERIBUS

1. Domine, non sum dignus tua consolatione, nec ulla visitatione spiritali : et ideo juste mihi agis quum me inopem ac desolatum relinquis.

Si enim lacrymas, velut mare, fundere possem, consolatione tua adhuc dignus non essem.

Unde nec dignus sum nisi ut flageller et puniar, quia sæpe et graviter te offendi, atque sæpe etiam in multis rebus admodum deliqui.

Proinde rationibus rite perpensis, ne minima quidem consolatione sum dignus.

At tu, clemens et misericors Deus, qui facere non vis ut opera tua intereant, *ad ostendendum divitias bonitatis tuæ in vasa misericordiæ*, etiam præter omne meritum proprium dignaris consolari servum tuum supra modum humanum. (Rom. IX. 23.)

Consolationes enim tuæ non sunt sicut confabulationes humanæ.

2. Quid egi Domine, ut mihi conferres ullam consolationem cœlestem?

Ego nihil boni me egisse recordor, sed potius semper pronum ad mala, ad me autem emendandum segnem fuisse.

Verum est, nec negare possum. Si aliter dicerem, te mihi adversum haberem, nec esset mihi qui me defenderet.

Quid ob peccata mea merui, nisi inferos et ignem æternum?

Fateor in veritate omni ludibrio contemptuque me dignum esse, nec decere me in numero piorum tuorum memorari. Atque licet hoc ægre audiam, pro veritate tamen peccata mea adversum me arguam, ut facilius merear misericordiam tuam impetrare.

3. Quid dicam ego reus, omnisque confusionis plenus?

Non est mihi os ad loquendum, nisi hoc solum verbum: Peccavi, Domine, peccavi; miserere mei, ignosce mihi!

Sine me paululum ut plangam dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine. (Iob X. 20, 21.)

Quid est quod tu a reo ac misero peccatore tantopere exigis, quam ut ob delicta sua corde contrito sit seque humiliet.

E vera enim contritione, cordisque humiliatione nascitur spes veniæ, residet perturbata conscientia, reparatur gratia amissa, homo ab ira futura servatur, atque Deus, pœnitensque anima sibi mutuo ac sancto osculo occurrunt.

4. Humilis peccatorum pœnitentia sacrificium acceptabile tibi est, Domine, in conspectu tuo longe suavius olens quam thuris suffimentum.

Est eadem et gratum unguentum, quod pedibus tuis sacris infundi voluisti ; quia *cor contritum et humiliatum nunquam despexisti.* (Ps. L. 19.)

Ibi est locus refugii ab ira inimici; ibi emendatur et eluitur quidquid usquam contractum sit et inquinatum.

CAPUT LIII.

QUOD GRATIA DEI CUM SAPIENTIA TERRENORUM SE MISCERI NON SINAT.

1. Fili, pretiosa est gratia mea, rebus alienis se misceri non patitur, nec consolationibus terrenis.

Cuncta igitur gratiæ impedimenta, si eius infusionem accipere optas, amovenda sunt.

Elige tibi secretum recessum, solus tecum libenter habites, sermocinationem nullius appetas, potius ad Deum pias preces effundas, ut mentem contritam serves, puramque conscientiam.

Totum mundum nihili facias, te Deo vacare, rebus alienis omnibus anteponas.

Mihi enim vacare, atque simul rebus intereuntibus oblectari non poteris.

Necesse est ut ab amicis aliisque tibi charis te separes, mentemque tuam omni solatio temporali vacuam solutamque reddas.

Beatus Petrus, Apostolus, ad hunc modum obsecrat, ut *tamquam advenas*, inquit, *et peregrinos in hoc mundo se contineant* Christi fideles. (I. Pet. II. 11.)

2. O quanta fiducia firmatur morituro, quem nullius rei affectus in mundo detinet.

At cor ab omni re sic remotum animus æger nondum comprehendit, nec homo animalis perspicit immunitatem hominis interioris.

Attamen, si vere spiritalis esse cupit, oportebit eum renuntiare tam propinquis quam remotis, nec sibi ab ullo magis cavere quam a se ipso.

Si tu te ipsum perfecte viceris, cætera facilius subiugabis.

Perfecta victoria est : de semet ipso triumphare.

Qui enim ipsum se subiectum tenet, ut impetus sensuum rationi, ratio autem in omnibus mihi obtemperet, is profecto victor sui est, atque mundi dominus.

3. Si hoc celsum fastigium conscendere meditaris, id forti animo aggrediaris oportet, et securmi ad radicem applicare, ut occultum immoderatumque tui ipsius, necnon commodi omnis privati ac materialis studium exseces et evellas.

Ex hoc fere vitio, amoris nimirum sui intemperati, prope totum dependet, quidquid funditus superandum sit, quibus malis devictis ac subactis, pax et tranquillitas animi protinus comparantur.

Verumtamen, quum qui sibi omnino mori conentur sint pauci, nec multi vires suas extrorsum exserunt, secum implicati manent, nec spiritu supra se extolli valent.

Qui tamen mecum ambulare optat, ei necesse erit ut cunctas affectiones suas pravas et immoderatas refrenet, nec ulli creaturæ amore singulari cupide hæreat.

CAPUT LIV.

DE DIVERSIS MOTIBUS NATURÆ ET GRATIÆ.

1. Fili, motus naturæ et gratiæ sedulo observes, in adversas enim partes ac subtili motu feruntur, adeo ut vix ab homine quidem nisi spiritali, et interno lumine illustrato, dignoscantur.

Bonum quidem omnes anhelant, nec quisquam est quin aliquid boni dictis factisque affectet; hinc specie boni haud pauci falluntur.

2. Natura astuta est, multos allectat, irretit ac decipit, ipsa tamen semper est sui ipsius finis.

At gratia sine arte ambulat, ab omni re, vel specie mala, declinat, laqueos dolosos non tendit, et omne id quod agit, pure ob Deum agit, in quo et ultimo requiescit.

3. Natura invita moritur, nec se premi sinit aut superari, nec subesse vult aut sua sponte sublugari :

Gratia, contra, stimulis hominis exstinguendis

studet, refrenat sensuum impetus, gestit subiici, vult ut vincatur, nec propria voluntate uti conatur; disciplinæ libenter subest, nec in ullum cupit dominari, sed Deo semper subiecta vivere, constare et esse, atque *propter Deum omni humanæ creaturæ humiliter parata est inclinari.* (I. Pet. II, 13.)

4. Natura pro commodo suo laborat, et quid lucri ex alio sibi proveniat, meditatur:

Gratia vero non quid sibi utile et commodum sit, sed quod multis proficiat, potius reputat. (I. Cor. X. 33.)

5. Natura honorem reverentiamque libenter accipit:

Gratia vero honorem gloriamque omnem ad Deum constanti fide refert.

6. Natura confusionem et contemptum veretur:

Gratia autem *gaudet pro nomine Iesu pati contumeliam.* (Act. V. 41.)

7. Natura otium amat et quietem corporalem.

Contra, gratia iners esse nequit, et laborem strenue amplectitur.

8. Natura ea quærit quæ curiosa sunt et pulchra, vilia ac rudia aspernatur:

At gratia rebus simplicibus et humilibus delectatur, aspera non fugit, nec pannis veteratis indui eam pudet.

9. Natura temporalia curat, lætatur lucro terreno, damno contristatur, vel minimo verbo iniuriæ irritatur.

At gratia de æternis est sollicita, temporalibus non hæret, nec iactura rerum perturbatur, neque verbis durioribus acerbatur: qui a thesaurum suum et gaudium in cœlo, ubi nihil perit, reposuit.

10. Natura avara est, libentius enim accipit quam dat, amat propria et privata:

Gratia autem liberalis est et communis, vitat singularia, paucis fit contenta, *beatius dare* iudicat *quam accipere.* (Act. XX. 35.)

11. Natura ad creaturas, ad carnem propriam, ad vanitates et discursus inclinat:

Gratia vero ad Deum et ad virtutes trahit, mittit creaturas, fugit mundum, carnis appetitus odit, evagationes restringit, in publicum prodeundo erubescit.

12. Natura solatium quoddam externum libenter recipit, quo sensus oblectentur:

At gratia solatium in Deo solo quærit, et delectamentum supra omne visibile a summo bono repetit.

13. Natura solo lucro commodoque proprio ducta agit, gratis necquidquam agendo par, sive quid æquivaloris aut pluris, sive laudem, aut favorem pro benefactis sperans, aut certe sua gesta, dona vel dicta maximi æstimari poscit:

At gratia nihil temporalis ambit, nec aliud præmium quam Deum solum pro mercede postulat, nec ultra quod sit necessarium e temporalibus exigit, nisi quantum hæc ad assequendum æterna iuvare possint.

14. Natura numero amicorum et propinquorum gaudet, generis locique nobilitate gloriatur, potentibus arrisione assentatur, blanditur divitibus, sui similibus plaudit:

Gratia et inimicos diligit, ex amicorum cœtu non se extollit, nec locum natalem ortumque examinat, nisi virtute clarescant; pauperem cum divite æquo loco habet; innocentiori quam potentiori compatitur; veraci congaudet, non fallaci; bonos *ad meliora charizmata æmulari* cohortatur, atque Filio Dei virtutibus, assimilandum esse. (I. Cor. XII. 31.)

15. Natura de indigentia et molestia cito conqueritur : gratia inopiam animo constanti fert.

16. Natura omnia ad se refert, pro se certat et arguit.

Gratia autem cuncta Deo refert accepta, a quo primum emanarunt ; nihil boni sibi adscribit, nec sibi nimium arrogat ; non rixatur, nec suam sententiam alienis anteponit, sed se tota mente et intellectu æternæ sapientiæ Divinoque arbitrio submittit.

17. Natura cupida est secreta sciendi novaque audiendi; vult externe ac per speciem apparere, multaque per sensus experiri ; agnosci gestit et ea agitare e quibus laus et admiratio in eam redundent :

At gratia non satagit nova et inaudita percipere, quod omne id e fonte veteris corruptionis est, quum in terra nihil novi durabilisque sit.

Docet itaque sensus compescere, vanum sibi placendi studium et ostentationem reprimere, vera laude digna ac mira modeste celare, atque ex omni re, omnique scientia fructum, laudemque Dei, et honorem quærere.

Se suaque prædicari non vult, sed potius ut Deo, qui cuncta e mera charitate largitur, in donis suis benedicatur, exoptat.

18. Gratia hæc lumen est præter naturam ac donum Dei quoddam speciale, signaculum electorum proprium, et pignus salutis æternæ, quæ hominem a terrenis ad amanda cœlestia sublevat, et ex carnali spiritalem efficit.

Quanto igitur natura arctius premitur ac cohibetur, tanto uberior gratia infundetur, atque homo interior, visitationibus novis, ad normam imaginis Dei, arctius reformatur.

CAPUT LV.
DE CORRUPTIONE NATURÆ, DEQUE EFFICACIA GRATIÆ DIVINÆ.

1. Domine Deus mi, qui me ad imaginem et similitudinem creaveras, largire mihi eam gratiam, quam ad salutem tanti momenti, tamque necessariam ostendisti, ut opera eius naturam meam nequissimam, ad peccata perditionemque allectantem, debellare queam.

Sentio enim in carne mea legem peccati, contradicentem legi mentis meæ, quæ me in multis ad assentiendum sensualitati adigit; nec violentiæ eius obsistere queo, nisi sanctissima tua gratia, cordi meo ardens infusa, mihi adsit. (Rom. VII. 23.)

2. Gratia tua, eaque magna, mihi opus est, ut natura, *ad malum semper prona ab adolescentia sua*, a me superetur. (Gen. VIII. 21.)

Nam natura ipsa, quam tu bonam probamque creaveras, culpa primi hominis, Adami, commisso scelere lapsa est et vitiata, pœna cuius

sceleris, velut macula inhærens, in omnes homines descendit, adeo quidem, ut "natura" iam, quasi synonymum, pro "vitio" et "infirmitate" *corruptæ* naturæ ponatur, quandoquidem motus eius, suapte vi, ad malum, et ad ima, deorsum, vehat.

Nam modica vis, quæ reliqua superest, est tamquam scintilla quædam cinere obruta latens.

Ista autem scientilla ratio est naturalis cœca caligine circumfusa, tamen usque facultate discrimen bonum inter et malum, verum ac falsum, iudicandi, prædita, licet cuncta quæ probat implendo sit impar, nec iam ultro pleno veritatis lumine, nec affectionum suarum sanitate potiatur.

3. Hinc est, Deus mi, quod *condelector legi tuæ secundum interiorem hominem*, haud inscius *mandatum tuum fore bonum, iustum et sanctum*, malum autem omne atque peccatum fugiendum esse arguens. (Rom. VII. 22; Rom. VII. 12.)

Carne autem servio legi peccati, quum sensibus potius quam rationi morem gero. (Rom. VII. 25.)

Hinc est, quod *velle bonum mihi adiacet, perficere autem non invenio.* (Rom. VII. 18.)

Hinc, sæpe, multa bona mihi animo propono, sed quum gratia, quæ mihi in infirmitate mea præsidio sit, caream, ab obluctando brevi resilio ac deficio.

Hinc fit, ut viam ad perfectionem agnoscam, et quemadmodum agere debeam rite perspectum habeam ;

Verumtamen, pondere propriæ nequitiæ pressus, ad semitam altioris perfectionis nequeo assurgere.

4. O quantopere necessaria mihi est, Domine, gratia tua, ad inchoandum bonum, ad proficiendum in eo, et ad me perficiendum !

Nam sine ea necquidquam boni præstare queo, *omnia autem possum in te confortante me gratia.* (Philip. IV. 13.)

O cœlestis profecto est gratia, qua absente, merita propria, perinde atque ipsa dona naturæ, nihili sunt æstimanda !

Apud te, Domine, nihil valent artes, nihil divitiæ, nihil pulchritudo, vel fortitudo, nihil ingenium, aut eloquentia, sine gratia.

Nam dona naturæ tam bonis quam malis sine delectu obveniunt; donum autem electis proprium gratia, seu dilectio, est, quo insigniti vita æterna digni iudicantur.

Gratia hæc sic eminet, ut sine ea, nec donum vaticinandi, nec ostenta patrandi, nec speculatio quamtumlibet subtilis, magni æstimandum est.

Pariter, nec fides, nec spes, neque aliæ virtutes tibi acceptæ sunt sine charitate et gratia.

5. O gratia beatissima, quæ efficis ut pauper in spiritu, in virtutibus dives fiat, divitem autem multarum opum corde humilem reddis.

Veni, descende ad me, reple me mane consolatione tua, ne præ lassitudine et ariditate mentis anima mea deficiat.

Obsecro te, Domine, ut inveniam gratiam ante oculos tuos; *sufficit enim mihi gratia tua*, etiamsi cætera, quæ natura exigit, non obtineam. (II. Cor. XII. 9.)

Etiamsi plurimæ tribulationes me tentent et vexent, dum gratia tua fultus fuero, mala non timebo.

Ipsa ea est fortitudo mea, ipsa mihi consilium subministrat et auxilium.

Cunctis hostibus potentior ipsa est, et sapientior universis sapientibus.

6. Ipsa magistra est veritatis, doctrix disciplinæ, lumen cordis, solamen in angustiis, fugatrix tristitiæ, ablatrix timoris, nutrix pietatis, productrix lacrymarum.

Quid sum sine ea nisi aridum lignum, stipesque inutilis et eiiciendus ?

Tua ergo me, Domine, gratia semper et præveniat, et sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet intentum, per Iesum Christum Filium tuum. Amen. (Oratio Dom. XVI. post Pent.)

CAPUT LVI.

QUOD IPSOS NOS COERCERE, ET CHRISTUM PER CRUCEM IMITARI DEBEAMUS

1. Fili, quantum a te recedere, tantum ad me accedere vales.

Quemadmodum foris nihil concupiscere pacem internam conciliat, sic se interius derelinquere Deo coniungit.

Voluntas mea est, ut cuncta tibi negare discas, et in mea voluntate sine oblocutione ac quærela acquiescere.

Sequere me! *Ego sum via, veritas et vita.* Sine via non itur, sine veritate cognitio non fit, sine vita non vivitur. Ego sum via quam sequi debes, veritas, cui credere debes, vita, quam sperare debes. (Ioan. XIV. 6; Matth. IX., 9; Marc. II. 14; Luc. V. 17.)

Ego sum via inviolabilis, veritas falli nescia, vita interminata.

Ego sum via rectissima, veritas suprema, vita vera, vita beata, vita increata.

Si in via mea permanseris, *cognosces veritatem*,

et veritas liberabit te, atque vitam æternam apprehendes. (Ioan. VIII. 32.)

2. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* (Matth. XIX. 17.)

Si veritatem cognoscere velis, crede mihi.

Si vis perfectus esse, vende omnia. (Matth. XIX. 21)

Si vis esse discipulus meus, abnega temet ipsum. (Luc. IX. 23; Matth. XVI. 24.)

Si vita beata potiri velis, vitam præsentem sperne.

Si vis exaltari in cœlo, sis submissus in hoc mundo.

Si vis regnare mecum, baiula crucem mecum.

Soli enim servi crucis inveniunt viam beatitudinis, et veræ lucis.

3. Domine Iesu, quandoquidem vita tua tenuis erat, et mundo despecta, da mihi ut te, a mundo spretus imiter.

Non enim maior est servus domino suo, nec discipulus super magistrum. (Matth. X. 24.)

Exerceatur servus in contemplanda vita tua, in ea enim est salus mea, veraque sanctitas.

Quidquid præter eam legam vel audiam, me non recreat, nec plene delectat.

4. Fili, quia hoc totum legisti, tenesque totum, si secundum id feceris, beatus eris.

Qui habet mandata mea, et servat ea, ipse est qui diligit me; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum, et faciam ut mecum, in regno Patris mei, sedeat. (Ioan. XIV. 21.)

5. Domine Iesu, sic mihi omnino fiat, sicque mihi mereri contingat, ut dixeras, utque promiseras.

Suscepi, e manu tua suscepi, crucem ; portabo eam, ad mortem usque eam portabo, quemadmodum tu eam mihi imposueras. Vita probi monachi revera crux est, dux tamen in paradisum.

Iter initum est, regredi nefas, nec semitam deserere decet.

6. Eia fratres! eamus simul, Iesus nobiscum erit.

Propter Iesum suscepimus hanc crucem, etiam propter Iesum perseveremus in ferenda cruce.

Ipse erit adiutor noster, qui et præcedit nos, estque dux noster.

En, rex noster nobis anteit, *qui pugnabit pro nobis*. (II. Esd. IV. 20.)

Sequamur eum pro parte virili, terrores nemo reformidet; *simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ*, a cruce nimirum aufugiendo. (I. Machab. IX. 10.)

CAPUT LVII.

QUOD QUUM HOMO IN CULPAM QUANDAM INCIDIT, NIMIS DEIECTUM EUM ESSE NON OPORTEAT.

1. Fili, patientia et humilitas in rebus adversis mihi magis placent, quam consolatio multa ac pietas in secundis.

Quid te contristant res pusillæ quibus accusaris?

Si vel maiores essent, commoveri non deberes.

At nunc sine ut prætereant; non enim fit primum, nec quid novi est, nec, si diu vivas, erit ultimum.

Satis virilis es, quamdiu nihil adversi tibi occurrit; consiliis quoque vales et alios verbis confirmando: at quum in limine tuo repentina tribulatio adstat, consilio ac viribus deficis.

Memento imbecillitatis tuæ nimiæ, de qua res vel minimæ te sæpe commonent: attamen, quum hæ accidunt, atque similia, pro salute tua fieri scias.

2. Mitte ex corde memoriam convitii optimo

quo potes modo; attamen, si te pungat, ne deiiciaris, nec aculeum eius diu geras.

Si non lætanter, saltem patienter ferto.

Etiamsi id quod exprobratur minus libenter audias, et indignatione æstues, compesce animum, nec ex ore quidquam minus temperati elabi siveris, ex quo ætas tenerior scandalum capere possit.

Æstus animi excitatus mox residet, dolor internus, gratia revertente, dulcescet.

Adhuc vivo ego, ait Dominus, iuvare te, solitoque efficacius tibi solari, si fiduciam in me posueris, meque pie invocaveris, semper paratus.

3. Esto animo æquiori, et ad amplius sustinendum te accingas.

Si te sæpius tribulatum, vel asperius tentatum senseris, de te iam actum esse minime arbitreris.

Homo es, non autem Deus; caro es, non vero Angelus.

Quomodo putas te perpetuo in eodem statu virtutis perstare posse, quum hoc Angelo in cœlo primoque homini in paradiso datum non fuisset?

Ego sum qui *mœrentes erigo sospitate*, atque sua infirmitatis conscios ad meam divinitatem adtollo. (Iob V. 11.)

4. Domine, benedictum sit verbo tuo, quod

est ori meo *dulce super mel et favum.* (Ps. XVIII. 11; CXVIII. 103.)

Quid facerem in tantis tribulationibus et angustiis meis, nisi me confirmares monitis tuis sanctis?

Dummodo tandem ad portum salutis perveniam, quæ quantaque passus sim, quid est curæ mihi?

Concede mihi felicem finem, concede mihi incolumem discessum.

Memento mei, Deus mi, fac dirigas me recta via in regnum tuum. Amen.

CAPUT LVIII.
QUOD PROFUNDA RERUM OCCULTAQUE DEI IUDICA SCRUTANDA NON SINT

1. Fili, cave de arcanis rerum, occultisque Dei iudiciis disputes: quare hic negligatur, ille ad tantam gratiam evehatur, cur etiam iste tantum affligatur, ille vero tam eximie exaltetur.

Ista omnem humanam facultatem excedunt, nec ad investigandum iudicium Divinum ulla ratio vel disputatio valet.

Quando ergo hæc tibi suggerit inimicus, vel etiam quidam curiosi inquirunt homines, responde illud Prophetæ: *Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum.* (Ps. CXVIII. 137.)

Et illud: *Iudicia Domini vera, iustificata in semet ipsa.* (Ps. XVII. 10.)

Iudicia mea metuenda sunt, non disputanda, quod ratione humana comprehendi nequeunt.

2. Noli porro in merita Sanctorum inquirere et disputare, quis alio sit sanctior, aut quis eorum maior sit in regno cœlorum.

Talia enim non raro iurgia litesque inutiles gignunt, superbiam quoque ac vanam gloriam fovent: unde invidiæ et dissidia, quum hic illum Sanctum, alter alium conatur alteri anteponere.

Res idgenus indagare ac rescire conari, nullum prorsus fructum affert, sed, contra, Sanctis displicet: quia *non sum Deus dissensionis, sed pacis*, quæ pax in humilitate vera potius quam in sui exaltatione consistit.

3. Aliqui dilectione zelosa unius trahuntur, vel affectione vehementiori alterius, humana tamen potius quam divina.

Ego sum qui cunctos condideram Sanctos; ego donavi gratiam, ego præstiti gloriam.

Ego novi singulorum merita; *ego prævени eos in benedictionibus dulcedinis meæ.* (Ps. XX. 40.)

Ego præscivi dilectos meos ante sæcula; *ego eos elegi de mundo*, non ipsi me præelegerunt. (Ioan. XV. 19.)

Ego vocaveram per gratiam, traxeram per misericordiam, ego perduxi eos per allectationes varias.

Ego infuderam solatia grandia, ego dedi perseverantiam, ego coronavi eorum patientiam.

4. Ego et primum et novissimum agnosco, ego omnes inæstimabili dilectione amplector.

Ego laudandus sum in omnibus Sanctis meis; mihi supra omnia benedicendum est, honorandusque sum a singulis: quos ita gloriose magnificavi et prædestinavi sine ullis ex sua parte meritis antecedentibus.

Qui ergo unum e minimis meis vilipenderit, ne maximum quidem honorabit; *quia pusillum et magnum ego feci.* (Sap. VI. 8; Matth. XVIII. 10.)

Qui vero derogat alicui Sanctorum, derogat et mihi, cæterisque in regno cœlorum omnibus.

Nam, per vinculum charitatis, hi omnes unum sunt, idem sentiunt, idem volunt, in unum se diligunt.

5. Quinimo, quod est multo plus, me, quam se, suaque merita, longe ardentius diligunt.

Nam supra se rapti, et ultra sui dilectionem evecti, quisque eorum me amando omnis est, in quo amore et læti conquiescunt.

Nihil est quod eos avocare aut deprimere possit, quippe qui æternæ veritatis pleni, igne charitatis flagrant, qui restingui non possit.

Taceant igitur homines carnales et animales, nec de statu Sanctorum disceptent, utpote qui, præterquam gaudia privata, diligere non noverint. Hi addunt et demunt, ut cuiusque sua propensio fert, non ut æternæ veritati gratum sit.

6. Non paucis inscitia inest, iis præsertim, qui parum illuminati, aliquem perfecta dilectione spiritali prosequi raro valent.

Hi naturali affectu humanaque amicitia ad hos vel illos adhuc nimiopere trahuntur, et perinde atque in his minutioribus se gerunt, æque et de cœlestibus cogitabunt.

At plurimum intercedit inter ea quæ homines imperfecti sibi opinantur, atque ea quæ viri illuminati per revelationem supernam speculantur.

7. Cave, ergo, fili, ne has res curiose tractes quæ scientiam tuam excedunt; sed, ad illud potius enitere et conare, ut vel minimus in regno Dei inveniri queas.

Si quispiam sciret, quis alio sanctior esset, vel quis maior in regno cœlorum haberetur, notitia hæc quid ei prodesset, nisi is se, ex hac cognitione, coram me humiliaret, et eo in maiorem nominis mei laudem exsurgeret?

Is Deo multo acceptius quid præstat qui de peccatorum suorum magnitudine, et de exiguitate virtutum suarum cogitat, atque quam longe a perfectione Sanctorum absit, quam is, qui de maximatu vel minoratu disputat.

Præstat Sanctos piis præcibus lacrymisque exorare, et gloriosa eorum suffragia humili mente

implorare, quam eorum secreta vana inquisitione perscrutari.

8. Sancti etenim omnino ac penitus contenti sunt, si modo homines contenti esse scirent, suaque vaniloquia compescere.

Ii de propriis meritis non gloriantur, quippe qui sibi nihil bonitatis adscribunt, sed totum mihi, quoniam ipsis cuncta ex infinita mea charitate donavi.

Tanto illi amore divinitatis, gaudioque replentur supereffluenti, ut nihil gloriæ eis desit, nihilque deesse possit felicitatis.

Omnes Sancti, quanto gloria celsiores, tanto in se humiliores, mihi autem viciniores et dilectiores exsistunt.

Et ideo scriptum tenes, quod: *mittebant coronas suas ante Deum, et ceciderunt in facies suas coram agno, et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.* (Apoc. IV. 10; et V. 14.)

9. Multi quærunt, *quis maior sit in regno Dei,* qui ignorant utrum cum minimis digni sint qui computentur. (Matth. XVIII. 1.)

Res magna est vel minimum esse in cœlo, ubi omnes magni sunt, quia omnes *filii Dei vocabuntur* et erunt. (Matth. V. 9.)

Minimus erit in mille, et peccator centum annorum monetur. (Isa. LX. 22; et LXV. 20.)

Quum enim quærerent discipuli, quis maior esset in regno cœlorum, responsum tale tulerunt: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicuncunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic maior est in regno cœlorum.* (Matth. XVIII. 3 et 4.)

10. Væ eis, qui cum parvulis, sua sponte, se humiliare dedignantur, quoniam humilis regni cœlestis ianua eos ab intrando arcebit.

Væ etiam *divitibus, qui habent hic consolationes suas*, ipsi enim, quum pauperes regnum Dei ingredientur, foris stabunt eiulantes. (Luc. VI. 24.)

Gaudete humiles, et exsultate pauperes, quia venturum est regnum Dei, si tamen in veritate ambuletis. (Luc. VI. 20.)

CAPUT LIX.

QUOD OMNIS SPES ET FIDUCIA IN SOLO DEO SIT FIGENDA

1. Domine, quæ est fiducia mea, quam hac in vita habeo, aut quod solatium meum maius e cunctis rebus quæ sub cœlo apparent?

Nonne, tu, Domine Deus mi, solus ea es, cuius misericordiæ non est numerus? (Oratio Missæ in grat. act.)

Ubi mihi unquam bene fuit sine te? Aut quando mihi male esse potuit præsente te?

Malo pauper esse propter te, quam dives sine te.

Satius duco tecum in terra peregrinari, quam sine te cœlum possidere. Ubi tu, ibi cœlum; atque ibi mors et inferi, ubi tu non es.

Desiderium tui me tenet; et ideo tui ergo gemere, clamare, et in preces effundi me oportere, intelligo.

In nullo denique possum plene confidere, qui in necessitatibus meis auxilio opportunius mihi adsit, nisi in te solo, Deo meo.

Tu es spes mea, tu fiducia mea, tu consolator meus, et fidelissimus in omnibus.

2. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt;* tu autem salutem meam ac profectum meum nonnisi prætendis, et omnia bono meo vertis.

Etiamsi quandoque sinas ut tentationibus rebusque adversis exercear, utilitati meæ tantum consulis, quippe qui tuos millenis modis probare consuevisti.

Nec sub probatione constitutus te minus diligendum laudandumque censeo, quam si deliciis cœlestibus me cumulares.

3. In te ergo, Domine Deus, pono totam spem meam, te refugium meum confido, tibi me in omni tribulatione et angustiis meis concredo, quia quidquid præter te conspicio, infirmum et instabile comperio.

Non enim proderit multitudo amicorum, nec auxilia fortium quidquam iuvabunt, nec responsa doctorum consultorum utilia erunt, nec doctorum libri solari poterunt, nec ullæ pretiosæ opes me eruere, neque locus quiquam secretus et amœnus me tutari ; si tu ipse non assistas, adiuves, munias, soleris, instruas, meque custodias.

4. Omnia namque, quæ ad pacem conferre felicitatemque comparandam facere videantur, te absente, profecto nihil sunt, nec quidquam felicitatis revera afferunt.

Adeoque finis omnium bonorum, vitæ altitudo et eloquiorum profunditas tu es, et te, supra omnia, sperare, est efficacissimum servorum tuorum solatium.

Oculi mei ad te sunt conversi; in te confido, Deus mi, *misericordiarum Pater*. (II. Cor. I. 3.)

Benedic mihi, et stantifica animam meam benedictione cœlesti, ut fiat ea habitatio tua sancta, sedesque gloriæ tuæ æternæ, nec in templo tuæ dignitatis quidquam deprehendatur, quod oculis Maiestatis tuæ ingratum esse possit.

Secundum magnitudinem bonitatis tuæ, et *multitudinem miserationum tuarum respice in me*, et exaudi preces servi tui, qui procul abs te, in regione umbræ mortis, exsultat. (Ps. LXVIII. 17.)

Protege et conserva animam servuli tui in medio tot discriminum vitæ perituræ, atque gratia tua comitante, dirige eam per viam pacis ad patriam perpetuæ claritatis. Amen.

LIBER QUARTUS.

Pia exhortatio ad Sacram Communionem.

Vox Christi.

Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis: et ego reficiam vos, ait Dominus. (Matth. XI. 28.)

Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. (Ioan. V. 52.)

Accipite et comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam, commemorationem. (Matth. XVI. 26; Luc. XXII. 19; I. Cor. XI. 24.)

Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. (Ioan. VI. 57.)

Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. (Ioan. VI. 64.)

Liber Quartus.

Pia Exhortatio ad Sacram Communionem.

CAPUT I.
QUANTA CUM REVERENTIA CHRIRTUS EXCIPIENDUS SIT.

Vox Discipuli.

1. Hæc tua sunt verba, Christe, Veritas æterna, quamvis nec uno tempore prolata sint, nec uno in loco conscripta.

Quoniam ergo tua et vera sunt, cuncta ea a me animo grato ac fideli sunt recipienda.

Tua ea sunt, et tu ea protuleras; at et mea sunt, pro mea enim salute tu ea edideras.

Hinc, ex ore tuo ea libenter excipio, ut cordi meo eo arctius inserantur.

Verba tantæ pietatis, dulcedinis ac dilectionis plena, me excitant, sed delicta propria me terrent, atque impura mea conscientia me repellit, quominus ad tanta mysteria capienda accedere audeam.

Allicit me dulcedo verborum tuorum, sed multitudo reccatorum meorum onere deprimit.

2. Iube sis, ut fiducia erectus ad te accedam,

si *partem* tecum *habere* velim, atque ut immortalitatis accipiam alimoniam, si vitam gloriamque æternam cupiam obtinere. (Ioan. XIII. 8.)

Venite, inquis, *ad me omnes, qui laboratis et onerati estis: et ego reficiam vos.* (Matth. XI. 28.)

O dulce, et in aure peccatoris amicissimum verbum, quo tu, Domine Deus mi, egenum et pauperem ad Communionem sanctissimi tui corporis invitas!

Sed quis ego sum, Domine, ut ad te accedere præsumam?

Ecce cœli cœlorum te non capiunt, tu tamen ais: *Venite ad me omnes.* (III. Reg. VIII. 27.)

3. Quid sibi vult, obsecro, ista piissima dignatio, tamque amica invitatio?

Quomodo introducam te in domum meam, qui vultum tuum benignissimum sæpius offenderim?

Angeli te reverentur, Archangeli sancti iustique te metuunt, tu autem dicis: *Venite ad me omnes.*

Nisi tu, Domine, hoc diceres, quis id verum esse crederet?

Ac nisi tu iuberes, quis accedere attentaret?

4. Ecce, Noe, vir iustus, arcam fabricando centum annos laborabat, ut cum paucis servaretur, qui potero ego memet una hora præparare, ut fabricatorem mundi cum reverentia sumam?

Moyses, famulus tuus egregius amicusque tuus singularis, e lignis imputribilibus arcam paravit, quam et auro purissimo operuerat, ut tabulas legis in ea reconderet, ego autem, creatura putida, te, datorem legis fontemque vitæ, audeam tam facile recipere?

Salomon, regum Israel sapientissimus, templum magnificum, in laudem nominis tui septem annis ædificabat, diebus autem octo solemnia dedicationis eius celebrabat, mille hostias propitiatorias obtulit, atque arcam fœderis iubilo, buccinisque clangentibus in locum præstitutum ritu solemni collocari iusserat.

Ego vero, infelix, hominumque pauperrimus, qui potero te in domum meam inducere, qui vix dimidiam horam pie expendere sciam, et utinam saltem semel digne exegissem pæne dimidiam!

5. O mi Deus, quantum illi agere enisi sunt, ut tibi placerent!

Heu, quam pusillum est quod ego ago! Quam breve expleo tempus, quum me ad communicandum dispono, raro totus collectus, rarissime omni distractione purgatus!

Et certe in tua salutari Numinis præsentia nullam vel cogitationem indecoram præsto esse deceret, nec mentem ulli creaturæ patere, quando

non Angelum, sed Angelorum Dominum sum hospitio excepturus.

6. Attamen arcam fœderis inter suasque reliquias, atque sacerrimum purissimumque corpus tuum cum suis virtutibus ineffabilibus plurimum interest, velut inter legalia illa sacrificia præfigurantia futura, atque veram corporis tui hostiam, quæ cuncta vetustatis sacrificia complet et perficit.

7. Quare igitur ad tuam venerabilam præsentiam non magis inardesco?

Cur ad tua sacra sumenda maiori sollicitudine me non præparo, quum veteres illi sancti Patriarchæ et Prophetæ, reges quoque et principes, cum universo populo, erga cultum divinum tantum pietatis affectum exhibuerunt?

8. Piissimus rex David coram arca Dei omnibus viribus saltavit, beneficia olim patribus largita recolens; varii generis organa confecit, psalmos edidit, quos et cum lætitia cantari iussit, ipse quoque ad modulos citharæ canere consuevit, gratia Spiritus Sancti afflatus; populum Israel Deum toto corde laudare docuit, voceque consona eum prædicare et ei benedicere

Si tanta eo tempore vigebat pietas, tantaque laudis divinæ ante arcam testamenti celebratio, quanta nunc a me omnique populo Christiano exserenda est reverentia ac pietas, Sacramento præsente, et in corpore Christi sacerrimo sumendo?

9. Non pauci sunt, qui ad visendas Sanctorum reliquias diversa loca percurrunt, auditisque rebus eorum gestis stupent, vasta templorum ædificia inspiciunt, ossa eorum sacra, sericis auroque involuta, osculis contrectant.

Ecce autem tu hic præsto es coram me in altari, Deus mi, tu Sanctus Sanctorum, Creator hominum, Dominus Angelorum.

His rebus videndis homines sæpe curiositate ducuntur atque pruritu novitatis insolitæ, e quibus modicus fructus reportatur emendationis, præsertim ubi discursus tam levis sine contritione vera fit.

Hic vero, in Sacramento altaris, totus præsens es, Deus mi, homo Christus Iesus: ubi et copiosus percipitur æternæ salutis fructus, quotiescunque digne et pie receperis.

Ad hoc autem non levitas quædam allicit, nec sensualitas aut curiositas, sed pia fides, firma spes et sincera charitas.

10. O Conditor mundi, Deus invisibilis, quam miro modo nobis agis, quam suaviter et gratiose de electis tuis statuis, quibus in Sacramento ipsum te sumendum proponis!

Hoc autem omnem intellectum superat; hoc idem corda piorum modo speciali trahit, et affectum accendit.

Ipsi enim veri tui fideles, qui totam suam vitam ad sui emendationem disponunt, ex hoc Sacramento dignissimo eximiam gratiam pietatis, amoremque virtutum frequenter recipiunt.

11. O admiranda et recondita gratia Sacramenti, quæ Christi fidelibus tantum nota est, quam tamen infideles, et qui peccatis serviunt, comperire non possunt!

Sacramento hoc gratia spiritalis confertur, et in anima reparatur virtus amissa, ac per peccatum deformata redit pulchritudo.

Tanta est aliquando virtus huius gratiæ, ut ex plenitudine pietatis collatæ non mens modo, verum et debile corpus vires sibi præstitas augescere sentiat.

12. Tepiditas tamen nostra atque negligentia admodum dolenda ac miserenda est, quod ad sumendum Christum, in quo omnis spes meri-

tumque salutem petentium consistit, non acriori desiderio concitemur.

Nam ipse est sanctificatio nostra ac redemptio, ipse consolatio viatorum, æternaque Sanctorum fruitio.

Perquam igitur dolendum est mysterium hoc salutare a multis tam parum curari, quod cæteroquin cœlum lætificat, atque mundum conservat universum.

Heu cœcitatem duritiamque cordis humani! quod donum tam ineffabile non solertius curetur, quin etiam quod vi consuetudinis vel ad incuriam neglectumque eius desciscatur.

13. Quodsi sanctissimum hoc Sacramentum in uno tantum loco celebraretur, et ab uno tantum sacerdote in mundo consecraretur: quanto, existimas, desiderio loci eius, talisque sacerdotis Dei caperentur homines, modo ut divina mysteria celebrari videre possent?

At nunc sacerdotum copia est, atque Christus plurimis in locis offertur, ut gratia dilectioque Dei erga homines tanto uberior appareat, quanto sacra Communio latius per orbem diffusa sit.

Gratias tibi ago, Iesu bone, pastor æterne, quippe qui nos miseros et exsules pretioso cor-

pore et sanguine tuo dignatas es reficere, et ad percipienda mysteria hæc etiam proprii oris tui eloquio invitare, dicendo: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis: et ego reficiam vos.* (Matth. XI. 28.)

CAPUT II.

QUOD IN SACRAMENTO MAGNA BONITAS ET CHARITAS DEI ERGA HOMINEM EXHIBEATUR

Vox Discipuli.

1. Bonitati tuæ, ineffabilique misericordiæ, Domine, confisus, æger accedo ad Salvatorem, famelicus et siticulosus ad fontem vitæ, egenus ad Regem cœli, servus ad herum, creatura ad Creatorem, desolatus ad meum pium consolatorem.

Sed unde hoc mihi, ut venias ad me? Quis ego sum, ut tu te mihi ipsum præstes? (Luc. I. 43.)

Qui audet peccator coram te comparere? Qui autem tu dignaris venire ad peccatorem?

Tu me, servum tuum, scis, nec te fallit me omnis boni esse expertem, quo te mihi dari merear.

Confiteor igitur mei vilitatem, tuam bonitatem agnosco, laudo pietatem, et ob insignem tuam charitatem gratias tibi ago.

Ex infinita tua bonitate tu te mihi offers, non ob merita mea, nempe ut præstantia tua mihi

magis innotescat, ut charitas uberior mihi instilletur, ac, denique, ut animi humilitas eo clarius commendetur.

Quandoquidem sic tecum statueras, sicque fieri iusseras, dignatio tua et mihi placet; utinam pravitas mea impedimento ne sit.

2. O Iesu dulcissime ac benignissime! quanta reverentia, quantarumque gratiarum actio debetur tibi cum laude sempiterna a cunctis, qui corpus tuum sacerrimum percipiunt, cuius pretium nemo mortalium æstimare, vel verbis effari potest.

Quæ ultro cogitationes mente mea dignæ erunt in Communione hac mihi, ad Dominum meum accessuro, cui æquum honorem exhibere nequeo, quem tamen pie excipere cupio?

Quid, profecto, dignius ac salutarius cogitem, nisi ut me coram te ad humum usque pronum demittam, tuamque excellentiam infinitam supra me exaltem?

Laudabo te proinde et exaltabo, Deus mi, in sempiternum, me autem spernam, tibique in ima vilitatis meæ cernuus prosternam.

3. Ecce, tu Sanctus es Sanctorem, ego vero peccatorum squalor.

Ecce, tu ad me te inclinas, qui, ut oculos ad te sublevem, dignus non sum.

Ecce, tu accedis ad me, tu me consuetudine tua dignaris, tu invitas me ad convivium tuum.

Tu mihi cibum cœlestem vis præbere *panem Angelorum ad manducandum*, non aliud profecto quam ipsum te, *panem vivum qui de cœlo descendisti et das vitam mundo.* (Ps.LXXVII. 25; Ioan.VI.33.)

4. En, contemplare, quantum iubar dignationis e fonte effulget, ex quo dilectio manat! Quantæ gratiæ, quantæ laudes hanc ob rem tibi debentur.

O quam salutare quamque utile consilium tuum est, quo convivium hoc instituteras! Quam suave et quam iucundum illud est, quum tu te ipsum in cibum donavisses!

O quam admirabilis est operatio tua, Domine, quam potens est virtus tua, quamque ineffabilis veritas tua!

Dixisti enim, et facta sunt omnia, factumque est id quod tu ipse iusseras. (Ps. CXLVIII. 5.)

5. Res mira fideque digna est, excedens humanum intellectum quod tu, Domine Deus mi, verus Deus et homo, sub specie modici panis et vini integer continearis, nec ab eo qui te sumit edendo consumaris.

Tu Domine universorum, qui nullius indigentia pateris, statuisti ut per Sacramentum tuum in nobis habitares.

Fac ut cor meum corpusque maculis immunia conserves, ut mysteria tua læta puraque conscientia sæpius celebrare queam, et ad perpetuam salutem meam accipere, quæ præcipue ad honorem tuum perennemque memoriam institueras ac sanxeras.

6. Lætare anima mea, ageque gratias Deo ob munus tam nobile atque solatio tam singulari, in hac valle lacrymarum tibi relicto.

Nam quoties hoc mysterium recolis, corpusque Christi accipis, toties redemptionis tuæ opus repetis, atque omnium meritorum Christi fis particeps.

Charitas enim Christi nunquam minuitur, nec magnitudo propitiationis eius unquam exhauritur.

Quapropter ad corpus eius sumendum mente constanter renovata te disponas oportet, atque summum salutis mysterium sollicita cura ponderare.

Mysterium istud adeo magnum, novum et iucundum videri tibi necesse est quum id celebras vel quum missæ interes, ac si Christus eodem die primum in uterum Virginis descendens homo factus esset, vel in cruce pendens pro salute hominum pateretur ac moreretur.

CAPUT III.
QUOD SÆPE COMMUNICARE UTILE SIT.

Vox Discipuli.

1. En, ad te accedo, Domine, ut donum tuum mihi bene vertas, et e sacro tuo convivio gaudium concipiam, quod *parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.* (Ps. LXVII. 11.)

En, totum quod optare possim ac debeam, in te deprehendo ; tu es salus mea et redemptio, tu spes et fortitudo, tu decus ac gloria.

Lætifica ergo hodie *animam servi tui, quoniam ad te,* Domine Iesu, *animam meam levavi.* (Ps. LXXXV. 4.)

Te nunc pie ac reverenter excipere desidero; in domum meam te inducere cupio, ut cum Záchæo a te benedici atque inter filios Abrahæ numerari merear.

Anima mea corpus tuum concupiscit, cor meum tecum uniri desiderat.

2. Tu te mihi tradas, tum mihi ex integro satisfit ; nam præter te, consolatio nulla valet.

Sine te esse nequeo, nec quin me visites vivere possum.

Necesse est hinc ut ad te frequenter accedam, teque in remedium salutis meæ accipiam, ne forte si alimonia cœlesti fraudatus fuero, in via deficiam.

Tu enim, Iesu, summe misericors,ad conciones dicendo, diversisque languoribus medendo, ipse aliquando monebas: *Nolo eos ieiunos dimittere in domum suam, ne dificiant in via.* (Matth. IX. 35. XV. 32.)

Fac id ipsum mihi modo, qui in solatium fidelium in Sacramento ipsum te reliqueras.

Tu enim es suavis refectio animæ, atque qui te digne sumpserit, particeps et hæres erit æternæ gloriæ.

Mihi etenim, cui tam sæpe labi ac peccare, tam facile torpescere et deficere contingit, necessarium profecto est, ut creberrimis precibus, confessionibus sacrique corporis tui sumptione me reficiam, mundem et incendam, ne forte diutius me distinens, a pio proposito desciscam.

3. *Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua*, atque, nisi medicamentum divinum suggeratur, homo mox ad peiora dilabitur. (Gen. VIII. 21.)

Sacra igitur Communio a malo continet, in bono autem confirmat.

Quodsi modo, quum tamen aut communico aut celebro, tam sæpe sim negligens ac tepidus, quid fieret si nullam medelam sumerem, nec tam grande iuvamen quærerem?

At, licet, singulo quoque die aptus non sim, nec ad missam celebrandum rite dispositus, dabo tamen operam, ut congruis temporibus mysteria divina percípiam, meque tantæ gratiæ participem præbeam.

Nam hæc una est ac præcipua consolatio animæ fidelis, *quamdiu peregrinatur a te in mortali corpore*, ut Dei sui sæpius memor, dilectum suum cum mente pia excipiat. (II. Cor. V. 6.)

4. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio, quod tu, Domine Deus, creator et largitor vitæ omnium spirituum, ad animam misellam dignaris venire, eiusque famem tota tua divinitate atque humanitate satiare!

O mentem felicem, animamque beatam, quæ te, Dominum Deum suum meretur pie excipere, atque te sic excepto, gaudio repleri spiritali!

O qualem quantumque ipsa excipit Dominum! quam amabilem inducit hospitem, quam iucundum recipit socium, quam fidum accipit amicum,

quam speciosum ac nobilem amplectitur sponsum, præ omnibus dilectis et supra omnia optabilia amandum !

Conticescant coram vultu tuo, dulcissime dilecte mi, cœlum ac terra, omnisque ornatus eorum quoniam quidquid laudis habeant ac decoris, e dignatione largitatis tuæ est, nec ad decus nominis tui pertingunt, *cuius sapientiæ non est numerus*. (Ps. CXLVI. 5.)

CAPUT IV.

QUOD PIE COMMUNICANTIBUS MULTA BONA PRÆSTENTUR.

Vox Discipuli.

1. Domine Deus mi, *prævent servum tuum in benedictionibus dulcedinis tuæ*, ut ad Sacramentum tuum præstantissimum digne ac pie accedere merear. (Ps. XX. 4.)

Excita cor meum ad te, et fac ut torporem omnem a me abigam. *Visita me in salutari tuo*, ut suavitatem, quæ e Sacramento hoc, tamquam e fonte iugi ubertim manat, spiritu gustare possim. (Ps. CV. 4.)

Illumina quoque oculos meos, ut tantum mysterium contueri valeam, atque robora me, ut illud fide non dubia credam.

Operatio enim tua non humana potentia fit, nec institutio tua sacra est hominis figmentum.

Ad hæc autem capienda et intelligenda per se nemo idoneus deprehenditur, quippe quæ vel angelicam subtilitatem transcendant

Quid ergo valeam ego, peccator indignus, humus ac cinis, ex tam profundo sacroque secreto indagare et perspicere?

2. Domine, in cordis mei simplicitate, bona firmaque fide, et a te iussus, cum spe ac reverentia ad te accedo, teque hic in Sacramento Deum et hominem præsentem esse credo in veritate.

Visne ergo ut te percipiam, meque ipsum tibi in charitate uniam?

Quapropter clementiam tuam precor, atque ut mihi ad hoc specialem gratiam largiaris imploro, ut in te totus liquescam, amoreque superfluam, nec consolationis alienæ ultro quidquam in me intromittam.

Sacramentum enim hoc summum atque præstantissimum, salus est animæ et corporis, medicina omnis spiritalis languoris, quo cuncta mea delicta curantur, nisus vehementes frenantur, tentationes vincuntur aut minuuntur, gratia abundantior infunditur, virtus incepta augetur, firmatur fides, spes roboratur charitas autem inflammatur ac dilatatur.

3. Namque, Deus mi, qui animam meam suscipis, infirmitates humanas reparas, omnem-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

que consolationem largiris internam, iam bona innumera es in Sacramento dilargitus iis qui pie communicant, atque ulteriora adhuc dilargiturus es.

Ipsis etenim solatia plurima infundis adversum omne genus tribulationis, eosque ex imo suæ deiectionis ad spem tuæ tutelæ erigis, atque nova quadam gratia illos in intimis recreas et illustras, ut qui ante Communionem anxii, affectionum expertes fuerant, post eam, cibo potuque cœlesti refecti, se in melius mutatos comperiant.

Quod tu electis tuis tam large agas ideo fit, ut ii te in veritate agnoscant, teque palam experiantur, quum per se infirmitatibus obruti sint, et quantum bonitatis ac gratiæ a te consequantur:

Quod ex semet ipsis frigidi, duri et sine pietate sunt, per te autem fervidi, alacres et pietate ardentes fieri merentur.

Ad fontem enim suavitatis humiliter aggressus quis saltem modicum suavitatis inde non reportat?

Vel quis iuxta ignem copiosum stans non aliquantum caloris inde percipit?

Et tu fons es semper plenus et superabundans ignis iugiter ardens, nec unquam deficiens.

4. Quapropter etiamsi mihi e plenitudine fontis haurire non liceat, nec ad satietatem potare, tamen os meum ad decursum canalis cœlestis applicabo. ut inde vel modicam guttulam percipiam ad sitim meam restinguendam, tum penitus non exarescam.

Atque si etiam nondum totus sim cœlestis, nec igne sic candere possim ut Cherubim et Seraphim, dabo tamen operam ut pietati ita inhæream atque cor adeo præparem, ut vel modicam divini incendii flammam e Sacramento vivifico humiliter sumpto concipere queam.

Quidquid autem mihi ulterius defuerit, Iesu bone, Salvator sanctissime, benigne ac gratiose tu mihi supple, qui omnes ad te vocare es dignatus, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis*; *et ego reficiam vos*. (Math. XI. 28.)

5. Ego quidem in sudore vultus mei laboro, dolore cordis torqueor, peccatis deprimor, tentationibus infestor, multis animi tumultibus iactor et crucior, nec est qui mihi succurrat, nec qui me liberet et salvet, nisi tu, Domine Deus, Salvator mi, cui me, omniaque mea committo, ut me custodias, et in vitam æternam perducas.

Suscipe me, obsecro, ut sim tibi in laudem ac

gloriam nominis tui, quippe qui corpus tuum et sanguinem in cibum atque potum mihi paraveras.

Præsta, Domine Deus, salutaris meus, ut cum frequentatione mysterii tui crescat meæ devotionis affectus. (Or. Dom. IV. in Adv.)

CAPUT V.

DE DIGNITATE SACRAMENTI, DEQUE STATU SACERDOTALI.

Vox Dilecti.

1. Etiamsi Angelica esses puritate, et Sanctum Ioannem Baptistam sanctitate æquares, dignus tamen qui Sacramentum hoc accipias vel contrectes, usque non esses.

Hoc autem non meritis hominum debetur, quasi quod homo consecret tractetque Christi Sacramentum, et sumat in cibum panem Angelorum.

Grande ministerium est, magnaque dignitas sacerdotum, quibus datum est, quod Angelis non est concessum.

Soli namque sacerdotes, in Ecclesia ad ordines sacros rite evecti, pollent potestate missam celebrandi, atque corpus Christi consecrandi.

Sacerdos etenim minister est Dei, utens verbo Dei, iubente et instituente Deo; Deus vero in Sacramento auctor est summus et invisibilis operator, cui omne, quod velit, subest, et cui omne paret, quidquid iubeat.

2. Deo igitur omnipotenti in hoc Sacramento magis credas oportet, quam sensui tuo proprio, vel signo visibili cuicunque.

Necesse proinde est, ut ad id cum timore ac reverentia accedas.

Animadverte igitur atque vide, cuius ministerium impositione manuum Episcopi tibi collatum sit.

Ecce sacerdos factus es, et ad missam celebrandam consecratus; vide nunc, ut tempore proprio sacrificium Deo fideliter pieque offeras, atque ipsum te irreprehensibilem præstes.

Onus tuum non allevasti, sed arctiori potius iam deligatus es vinculo disciplinæ, atque altiori iam teneris perfectione sanctitatis.

Sacerdotem cunctis virtutibus ornatum esse decet, aliis autem exemplis vitæ probitatis anteire.

Conversationem eius non cum vulgo esse decet, nec more omnibus communi, sed cum Angelis in cœlo, vel cum hominibus in terra qui perfecti sunt.

3. Sacerdos sacris vestibus indutus Christi vices gerit, ut Deum pro se ac pro omni populo suppliciter et humiliter roget.

In sacra enim veste, et a tergo, et a pectore, signum crucis Dominicæ fert, ut passionis Christi perpetuo sit memor.

Ante se crucem in casula pictam fert, ut oculos suos vestigiis Christi eo diligentius defigat, eaque sedulo insequi statuat.

Pone se cruce signatus est, ut adversa quælibet ab aliis illata ob Deum bono animo perferat.

Crucem præ se gerit, ut propria peccata lugeat; pone se, ut etiam ab aliis commissa per compassionem defleat, seque medium inter Deum atque peccatorem constitutum esse sciat, nec ab orando sancteque offerendo desciscat torpore, donec gratiam et misericordiam impetrare meritus sit.

Quando sacerdos sacra celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Ecclesiam fovet, vivis succurrit, mortuis requietem parat, ipsum autem se bonorum omnium participem reddit.

CAPUT VI

QUÆSTIONES, QUIBUS COMMUNICATURUS SESE EXERCERE DEBEAT.

Vox Discipuli.

1. Quum tuam, Domine, maiestatem, meumque abiectum statum mecum pondero, timore peculsus tremo, animoque confusus hæreo.

Si enim accedere dubitem, ipsam vitam fugio; si vero indignus me obtrudam, noxam incurro.

Quidnam igitur agam, Deus mi, adiutur mi, qui in perplexitatibus meis consilio mihi adesse consuesti?

2. Tu, obsecro, doce me viam rectam, suggere mihi genus quoddam exercitii brevioris, quod Communioni congruum sit.

Scire enim iuvabit, quo præsertim modo cor meum ad Sacramentum tuum salubriter percipiendum, vel etiam ad tantum, plane divinum, sacrificium pie ac reverenter præparare debeam.

CAPUT VII.

DE INQUIRENDO IN PROPRIAM CONSCIENTIAM, DEQUE PROPOSITO SESE EMENDANDI.

Vox Dilecti.

1. Ante omnia decet ut sacerdos Dei ad Sacramentum hoc celebrandum, attrectandum ac sumendum profunda cordis humilitate, supplici reverentia, cum plena fide, pioque Deum honorandi consilio accedat.

Conscientiam tuam diligenter examina, eamque pro viribus, corde vere contrito, et humili confessione munda et expurga, ita ut nihil gravioris tibi sis conscius, nec quidquam habeas quod te remordeat, quodque te a libero accessu prohibeat.

Delicta tua cuncta, in universum, irrita et improbata habeas, culpas autem quotidianas speciali modo doleas ac defleas.

Quodsi autem per tempus liceat, cunctas animi turbati miserias, Deo, in cordis secreto, confltearis.

2. Te adhuc ita carnalem mundanumque esse, nisus tuos tam parum subactos, motibus concupiscentiæ tam plenum, doleas et ingemiscas.

Tam parum enim es sensibus externis custoditus, sæpe es diversis, vanis phantasiis implicatus.

Tam es ad exteriora pronus, tamque ad interiora negligens.

Tam levis es ad risum ac dissolutionem, tam durus at fletum et contritionem.

Tam promptus es ad laxiora et ad carnis commoda, tam segnis ad rigorem ac fervorem.

Tam curiosus es ad nova audienda et ad pulchra intuenda, tam remissus ad humilia et ad abiecta amplectenda.

Tam cupidus es ad multa habenda, tam parcus ad dandum, tam tenax ad retinendum.

Tam inconsideratus es in loquendo, tam incontinens in tacendo.

Tam incompositus es in moribus, tam importunus in actibus.

Tam effusus es super cibo, tam surdus ad verbum Dei.

Tam velox es ad quietem, tam tardus ad laborem.

Tam vigil es ad fabulas, tam somnolentus ad vigilias sacras.

Tam festinus es ad finem, tam vagus ad adtendendum.

Tam negligens es in horis absolvendis, tamque tepidus in missam celebrando, tam aridus in communicando.

Tam facile es mente distractus, tam raro tibi plene collectus.

Tam subito commoveris ad iram, tam facilis es ad aliis displicendum.

Tam pronus es ad iudicandum, tam rigidus quum tu argueris.

Tam lætus es in prosperis, tam debilis in adversis.

Tam sæpe multa bona proponis, tam pauca effectui mandas.

3. Quum hos, aliosque defectus tuos, cum dolore efficacique displicentia tuarum infirmitatum confessus fueris, easque deflebis, fac ut firmum consilium ceperis vitam tuam emendandi et in recto proficiendi.

Deinde, cum plena tui deditione totaque voluntate, ipsum te, in ara cordis tui, in honorem nominis mei, holocaustum perpetuum offeras, corpus nempe tuum animamque mihi fideliter committendo.

Quippe, ut in hunc modum ad offerendum Deo sacrificium, et ad Sacramentum corporis mei salubriter percipiendum digne accedere merearis.

4. Ad peccata enim diluenda nulla oblatio est dignior, nec satisfactio plenior, quam ea, qua quis se cum oblatione Corporis Christi in Missa et in Communione, Deo pure et ex integro offert.

Si quis ad se emendandum pro viribus cuncta præstiterit, eumque factorum vere pœniteat, quotiescunque ad me accesserit ut veniam gratiamque a me efflagitet: *Vivo! ego, dicit Dominus, qui nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat: quoniam peccatorum suorum non recordabor amplius,* impetrabit, eique cuncta remittentur. (Ezech. XXXIII. 11, atque Is. XLIII. 25.)

CAPUT VIII.

UT CHRISTUS SESE IN CRUCE OBTULERAT, SIC ET DISCIPULUS SE OFFERRE OPORTERE

Vox Dilecti.

1. Quemadmodum ego me ipsum in cruce, brachiis expansis, corpore nudo, pro peccatis tuis Deo Patri sponte mea obtuleram, ita ut nihil in me remaneret quod non omnino in sacrificium transiret ad Numen placandum:

Sic oportebit perinde, ut tu quoque te mihi in oblationem puram et sanctam per sacrificium Missæ, cum omnibus viribus affectibusque tuis, quo penitius valeas, voluntarie ac quotidie offeras.

Quid instantius a te exigo quam ut tu te mihi penitus dedere enitaris?

Necquidquam mihi acceptabile est quod mihi dare possis, quam ipse tu, non enim donum tuum quæro, sed ipsum te.

2. Perinde enim atque tibi minus sufficeret, si me uno dempto res universas possideres, sic nec mihi placere poterit quidquid mihi offeras, te autem subducas.

Fac igitur, ut te totum Deo tradas, tum accepta erit tua oblatio.

Ecce ego me Patri pro te totum obtuleram; totum quoque corpus meum atque sanguinem in cibum ac potum tradideram, ut totus essem tuus, tu autem meus permaneres.

At si tu in te ipso perstes, nec te voluntati meæ tua sponte offeras, oblatio tua integra non erit, nec unio inter nos plena.

Cuncta igitur opera tua præcedere debet oblatio tui ipsius in manus Dei spontanea, si libertatem consequi velis ac gratiam.

Ideo enim tam pauci interius illuminantur fiuntque liberi, quia se penitus dedere nesciunt.

Sententia mea firma est: *Nisi quis renuntiaverit omnibus, non potest meus esse discipulus.* Si ergo tu optas meus esse discipulus, necesse erit ut te ipsum mihi, cum affectibus tuis omnibus, offeras. (Luc. XIV. 33.)

CAPUT IX.

QUOD NOS ET OMNIA NOSTRA DEO OFFERRE ET PRO OMNIBUS HOMINIBUS ORARE DEBEAMUS

Vox Discipuli.

1. Domine, tua sunt omnia, quæ in cœlo quæque in terra exsistunt.

Quapropter et ego me ipsum oblationem voluntariam offerre, atque in perpetuum tuus perseverare præopto.

Domine, corde simplex memet tibi hodie servum offero in perpetuum, in obsequium atque in sacrificium laudis æternæ.

Suscipe me cum sacra oblatione hac pretiosi corporis tui, quam hodie, Angelis modo invisibili præsto assistentibus, tibi offero, ut id mihi, populique tui cuncti in salutem vertas.

2. Domine, offero tibi in altari propitiatorio tuo peccata delictaque mea cuncta, quorum reus sum coram te Angelisque tuis sanctis, inde a die quo ad peccandum vires nactus sum, ad horam usque præsentem, ut tu ea omnia igne charitatis

tuæ simul incendas et comburas, ut universas maculas peccatorum meorum deleas, conscientiam meam ab omni delicto emundes, mihique gratiam tuam, quam peccando amiseram, restaures, omnem noxam mihi remittendo ac condonando, meque in osculum pacis misericorditer sublevando.

3. Quid mihi ad detergendum peccata mea facto opus esse arbitrer, nisi ut ea tibi confitear eaque defleam, atque tuam miserationem incessanter efflagitem?

Te igitur imploro et appello, exaudi me propitius, quum coram te supplex adsto, Deus mi.

Peccata mea cuncta præter modum exosa sunt tibi, nec ea imposterum unquam perpetrabo, quin etiam ea doleo, doleboque dum vivam, semper paratus pœnitendo ea abolere, ac pro iis, quantum in me est, satisfacere.

Condona mihi, Deus, condona mihi peccata mea ob nomen tuum sanctum; fac ut anima mea, quam sanguine tuo pretioso redemeras, salva fiat.

En misericordia tuæ memet committo, in manus tuas memet trado.

Statuas de me pro bonitate tua, non ratione malitiæ ac nequitiæ meæ.

4. Offero quoque tibi bona quæ in me sunt cuncta, pauca et exilia ut ea sint, ut ea emendes

et sanctifices, ut ea grata habeas tibique accepta facias, ut ea ultro in meliora vertas, me autem desidem et inutilem homuncionem demum ad finem optatum ac beatum clementer perducas.

5. Offero porro tibi vota piorum omnia, indigentias parentum, amicorum, fratrum ac sororum, omnium denique qui mihi chari sunt, atque eorum, qui mihi, vel aliis, ob amorem tui bene fecerunt, item, qui preces ac Missas pro se suisque omnibus a me offerri iusserunt ac petiverunt, sive in carne adhuc superstites sint, sive vero vita in hoc mundo functi:

Ut hi omnes gratiæ tuæ succursum, opem solatii, tutelam a periculis, a pœnis vero liberationem se consequi comperiant, tum, denique, ex omnibus malis erepti, tibi gratias summas læti persolvant.

6. Demum, offero etiam tibi preces et hostias placatorias pro illis præsertim, quibus me in qualibet vicissitudine lædere, contristare vel vituperare, vel vero aliquid damni mihi vel iniuriæ inferre contigerit.

Pro illis quoque omnibus, quos aliquando ego contristavi, conturbavi, iniuria aut verborum scandalo, factis, consulto vel inconsulto affecerim:

ut nobis omnibus peccata nostra atque offensas mutuas pariter condonare velis.

Aufer, Domine, e cordibus nostris omnem suspicionem, indignationem, iram et altercationem, item, omne id, quod charitatem lædere, atque amorem fraternum minuere possit.

Miserere, flagito, miserere, Domine, misericordiam tuam poscentibus; præsta gratiam indigentibus, et fac ut nos tales exsistamus, qui gratia tua frui, et ad æternam vitam proficere digni deprehendamur. Amen.

CAPUT X.
QUOD SACRA COMMUNIO FACILE OMITTENDA NON SIT.

Vox Dilecti.

1. Fons gratiæ ac divinæ misericordiæ, fons bonitatis et omnis puritatis sedulo adeundus est tibi, ut affectibus concitatis vitiisque levari possis, atque adversum illecebras et fallacias diaboli fortior ac vigilantior evadere queas.

Inimicus Communionem sacram fructibus remediisque efficacissimis abundare haud ignarus, nihil intentatum relinquet, ut fideles et pios, quoad possit, ab ea distineat, eosque impediat.

2. Quum enim aliqui sese ad capiendum sacram Communionem disponunt, atrociora continuo satanæ tela persentiscunt.

Ipse Spiritus nequam, ut in libro Iob memoriæ traditur, adit filios Dei, ut eos consueta sua nequitia perturbet, aut eis metum ac confusionem incutiat, ut zelum eorum minuat, vel fidem im-

pugnando auferat, ut aut Communionem omnino relinquant, aut ad eam tepidi accedant.

Verumtamen versutia phantasiaque eius quantumlibet turpes et horridæ, curandæ minime sunt, quin potius cuncta phantasmata in caput eius sunt retorquenda.

Contemnendus sane est miser ille atque deridendus, nec causa insultus eius et ob commotiones quas ciet, sacra Communio derelinquenda est.

3. Non raro etiam impedimento est nimia sollicitudo ne pietate deficiamus, item, anxietas quædam confessionis faciendæ.

Sequere consilium sapientum, pone anxietatem et scrupulum, hæc enim gratiam Dei arcent, atque mentem pietati dovotam evertunt.

Propter turbellas minutiores vel molestias Communionem sacram intermittere nolito, quin etiam confessum festines, offensas autem aliorum libens condones.

Si vero tibi alique.n forte offendisse contingat, veniam ab eo cum o:nni humanitate petes, tum Deus tibi haud ægre propitius erit.

4. Quid iuvat confessionem diu differre, aut sacram Communionem demorari?

Expurga te primum quam poteris, exspue venenum actutum, propera ad remedium sumendum, tum melius valebis quam si id diutius distuleris.

Si hodie huius rei causa Communionem differs, dies crastinus forsitan causam adhuc graviorem inveniet; sic a Communione diu arceri posses, et in diem ineptior fieri.

Quam maturrime potes e præsenti desidia et inertia te eripias; enimvero diu angi et molestiis immorari, seque ob ordinarias diei molestias a divinis sequestrare nihil iuvat.

Imo plurimum nocet Communionem longe protelare, nam mora idgenus torporem gravem gignere consuevit.

At, pro dolor! haud rari sunt tepidi et laxi, quibus mora in confitendo gratissima est, qui Communionem idcirco differre amant, ut arctiori sui custodia se minus obligari sibi persuadeant.

5. Heu, quam exili charitate, quamque ieiuna pietate ii sunt, qui sacram Communionem tam facile procrastinant!

Quam felix, contra, Deoque acceptus censendus est is, qui sic vivit, suamque conscientiam tam puram et incontaminatam custodit, ut Com-

munionem sumere vel omni die paratus riteque dispositus esset, modo id ei liceret, eamque sumere sine censura posset!

Si quis tamen interdum, humilitate motus, vel causa legitima prohibitus, a Communione se abstineat, in laudem reverentiæ ei cedit.

Si cui vero torpor obrepserit, is videat ut se ad agendum pro viribus excitet; tum Dominus, propter bonam voluntatem tuam quam singulari favore respicit, votis tuis aderit.

6. Quum autem is iusta de causa præpeditus sese abstinet, bona voluntas, piumque communicandi propositum sibi usque superest, proinde fructibus Sacramenti non privabitur.

Licet autem cuique devoto animo, saltem in spiritu, Christi Communionem quovis die et quavis hora quin vetatur adire, nihilo tamen secius officii sui est corpus sui Redemptoris diebus præfinitis statoque tempore, qua Sacramentum, cum reverentia affectionis plena, sumere, laudem tamen Dei atque honorem potius quam solatium sui præ se ferendo.

Nam toties mystice communicat, atque modo invisibili reficitur, quoties mysterium incarnationis passionemque Christi pia mente recolit eiusque amore accenditur.

7. Qui nisi festum instet, vel eum usus et consuetudo adigant, ad Communionem se non præparat, sæpius imparatus erit.

Beatus est ille, qui se Domino in holocaustum offert, quoties sacra celebrat vel communicat.

Cave in Missam celebrando aut nimis prolixus aut præproperus fueris, vide potius, ut cum iis, quibuscum vivas, modum iustum ac consuetum serves.

Cave denique, ne aliis molestiam tædiumque pares, sed potius ut communem serves viam, probataque maiorum instituta prosequaris, atque aliorum utilitati quam propriæ et affectibus servire satius esse memineris.

CAPUT XI.

QUOD CORPUS CHRISTI ATQUE SACRA SCRIPTURA ANIMÆ FIDELI MAXIME NECESSARIA SINT.

Vox Discipuli.

1. O dulcissime Domine Iesu, quæ quantaque est dulcedo, cuius particeps fit anima tibi devota, quum tecum in convivio tuo epulatur, in quo non alius cibus ei ad sumendum præponitur, quam ipse tu, eius dilectus unicus, ultra omnia cordis eius somnia desiderabilis!

Saltem mihi, te præsente, ex intimo cordis affectu lacrymas fundere, et cum pia Magdalena pedes tibi lacrymis rigare, certe foret optatissimum.

At ubi est hæc tanta animi devotio? — Ubi est lacrymarum sanctarum copiosa effusio?

Certe te sanctisque Angelis tuis coram, totum cor meum flagrare deberet ac præ gaudio flere.

Tu enim in Sacramento mihi revera, coram præsens es, quamquam specie aliena occultatus.

2. Enimvero te in propria tua divina claritate contueri vires oculorum meorum excedit, quin et

fulgorem gloriæ maiestatis tuæ ne ipse totus quidem mundus sustineret.

In eo ergo, quod tu te sub Sacramenti specie celandum statueris, imbecillitati meæ consulis.

Habeo igitur vere, etiamque adoro, quem Angeli in cœlo adorant, attamen ego, impræsentiarum, fide tantum, ipsi vero coram, sine velamine.

Necesse interea est ut lumine veræ fidei contentus sim, et in eo ambulem, *donec adspiret dies* æternæ claritatis, *et umbræ* figurarum *inclinentur.* (Cantic. II. 17.)

Quum autem venerit quod perfectum est, usus Sacramentorum cessabit, beati enim in gloria cœlesti medicamine sacramentali non egent, quippe qui præsentia Dei sine fine gaudent, gloriam eius coram, ad faciem spectantes, atque ad summum claritatis fastigium Numinis, abyssos cœlorum temporumque transcendentis exaltati, Verbum Dei caro factum, ut fuit a principio, manebitque in æternum, gustant. (I. Cor. XIII. 10.)

3. Mira ac stupenda hæc contemplanti, ipsum adeo solatium spiritale quodcumque gravi tædio mihi fit: quia quamdiu Dominum meum palam in sua gloria non cernam, universas res quas in mundo conspicio et audio, nihili facio.

Tu Deus mihi testis es, me a nulla re consolari posse, nec ab ulla creatura quiete componi, nisi a te, Deus mi, quem in æternum contemplari anhelo.

At hoc, usque dum hac mortalitate detinear fieri non poterit.

Hinc necesse erit, ut me summæ patientiæ tradam, atque quæcumque sint cordis desideria, memet totum tibi subiiciam.

Nam et Sancti tui, Domine, qui iam tecum in regno cœlorum exsultant, adventum gloriæ tuæ, dum vivebant, cum fide, invictaque patientia præstolabantur. Quod enim ipsi crediderunt, et ego credo; quod ipsi speraverunt, et ego spero; quo, demum, ipsi pervenerunt, per tuam gratiam, me quoque perventurum confido.

Interea, exemplis Sanctorum communitus, in fide ambulabo.

Simul etiam libros sacros pro solatio ac pro speculo vitæ habebo, atque insuper, et præ cæteris omnibus, sacratissimum corpus tuum remedio ac refugio mihi erit.

4. Duo etenim mihi in hac vita perquam necessaria comperio, quibus si destituar, vita ista miserabilis toleranda non est.

In carcere corporis huius detentus, duabus rebus me indigere fateor: cibo nimirum atque lumine.

Mihi proinde, sic in carcere constituto, sacrum corpus tuum in refectionem mentis corporisque dederas, atque *lucernam pedibus meis verbum tuum* constituisti. (Ps. CXVIII. 105.)

Rebus his duabus privatus rite vivere haud possem; verbum enim Dei lux animæ meæ est, Sacramentum autem tuum panis vitæ.

Hæc profecto etiam duæ mensæ proprie appellabuntur, altera hinc, illinc altera, in gazophylacio Ecclesiæ sanctæ collocatæ.

Una mensa est sacri altaris, in qua est panis sacratus, nempe corpus Christi pretiosum; altera est divinæ Legis, quæ doctrinam sanctam fert, qua fides recta traditur, quaque inerrantes, pone velamen, ad penetralia usque, in sancta sanctorum, perducimur.

5. Gratias tibi reddo, o Domine Iesu, splendor luminis æterni, pro mensa doctrinæ sacræ, quam nobis per servos tuos, prophetas, apostolos, aliosque doctores paravisti.

Gratias tibi habeo, o Creator ac Redemptor hominum, qui ad declarandam toti mundo charitatem tuam cœnam magnam paraveras, in qua non agnum typicum, sed tuum sacerrimum corpus sanguinemque sumendum proposuisti, convivio sacro cunctis fidelibus lætitiam afferens,

eosque calice salutari inebrians ; in eo enim omnes simul sunt deliciæ paradisi, quibus epulis et Angeli sancti nobiscum intersunt, cum suavitate tamen præstantiori.

6. O quam magnum quamque honorabile est munus sacerdotum ! quippe quibus datum est, ut dominum supremæ maiestatis verbis sanctis consecrarent, labiis ei benedicerent, manibus contrectarent, ore proprio sumerent et aliis ministrarent.

O quam mundas manus eas esse oportet, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor sit sacerdotis, ad quem auctor puritatis toties ingreditur !

Ex ore sacerdotis, qui Sacramentum Christi tam sæpe percipit, nihil nisi sacrum, nihil nisi honestum et utile verbum procedat est necesse.

7. Oculos eius, utpote qui corpus Christi soleant intueri, simplices ac pudicos esse decet; manus quoque, utpote quæ Creatorem cœli et terræ soleant contrectare, puras et in cœlum elevatas.

Sacerdotibus lege modo speciali demandatur: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, Dominus Deus vester.* (Lev. XIX. 2., atque XX. 26.)

8. Fac, o Deus omnipotens, ut gratia tua nos adiuvet, ut qui munus sacerdotale susceperamus, et tibi digne ac pie, omni puritate, bonaque conscientia famulari valeamus. Verumtamen, si in tanta vitæ innocentia, quanta nos ornari æquum esset, versari nequeamus, saltem mala quæ patravimus rite deflere posse nobis concedas, atque animo humili, et proposito, quod bona voluntas parit, tibi ultro solertius servire.

CAPUT XII.

QUOD QUI SACRAM COMMUNIONEM ADIRE VELIT, CHRISTO SE DILIGENTI CURA PRÆPARARE DEBEAT.

Vox Dilecti.

1. Ego puritatis amator sum, auctorque omnis sanctitatis.

Ego cor purum quæro, cor purum est locus in quo requiesco.

Para mihi cœnaculum grande stratum, et faciam apud te pascha cum discipulis meis. (Marc. XIV. 15; Luc. XXII. 12.)

Si vis ut ad te veniam, et apud te maneam, *expurga vetus fermentum*, et munda cordis tui habitaculum. (I. Cor. V. 7.)

Exclude illinc mundum penitus, omnemque nequitiæ tumultum; fac ut, tamquam *passer solitarius in tecto* sedeas, atque excessus tuos amaritudine animi contriti tecum meditare. (Ps. CI. 8.)

Omnis etenim qui amat, ei quem amat, locum optimum et suavissimum solet præparare, sic enim fit affectus dilectum excipientis manifestus.

2. Scito tamen, præparationi huic solis actionum tuarum meritis satisfieri non posse, vel si annum integrum te præparando expendas, atque mens tua nullam rem aliam cogitet.

Sola pietas gratiaque mea faciunt ut ad mensam meam accedas, veluti si mendicus ad prandium optimatis invitetur, quum ille ad beneficium compensandum nulla penitus re quam sua humilitate in accipiendo et gratias rependendo polleat.

Fac pro viribus, et hoc solerter agas, non ex consuetudine mera, nec ex necessitate, accipias corpus dilecti Domini Dei tui, qui ad te venire dignatur, sed cum timore, reverentia et affectu.

Ego sum qui te vocavi, ego iussi cœnam fieri, ego quoque supplebo quod tibi desit. Veni, excipe me!

3. Quum ego tibi gratiam pietatis largior, Deo tuo gratias redde, non quod tu dignus sis, sed quod ego tui misertus sim.

Si gratia careas, eoque magis aridum te sentias, ad preces refugias, ingemiscas pulsesque, nec desistas, donec micam vel guttam gratiæ salutaris impetrare merearis.

Tu enim mei indiges, non ego tui.

Nec tu me sanctificatum venis, sed ego venio sanctificatum et melioratum te.

Tu venis ut a me sanctificeris mihique uniaris, ut novam gratiam impetres, utque ad te emendandum de novo accendaris.

Gratiam hanc negligere noli, quin potius cor tuum cum sollicita cura præpares, et sic demum dilectum tuum ad te introducas.

4. Præterea etiam necesse est, ut te non solum ad devotum affectum ante Communionem præpares, sed etiam ut te in eodem post Sacramentum sumptum firmum conserves. Nec enim postea minus solers custodia exigitur, quam pia præparatio antea. Nam sollicita custodia postmodum optima identidem erit præparatio ad ampliorem gratiam impetrandam.

Si quis enim statim nimis effusus sit ad solatia externa, minus recte dispositus evadit.

Cave, sis, tibi a multiloquio, in secessu te contine, fruereque Deo tuo; eum enim possides, quem tibi totus mundus eripere non potest.

Ego sum is, cui tu te totum dedere debeas, ita ut iam deinceps non in te ipso, sed in me, omni sollicitudine prorsus solutus vivas.

CAPUT XIII

QUOD ANIMA DEVOTA UNIONEM CUM CHRISTO IN SACRAMENTO TOTO CORDE ANHELARE DEBEAT.

Vox Discipuli.

1. Qui potiar voto, Domine, ut te solum offendam, ut tibi cor meum totum pandam, teque ex sententia animæ meæ fruar, nec quisquam me iam aspiciat, neque ulla creatura me moveat vel respiciat, sed ut tu solus ad me loquaris, ego autem ad te, ut qui amat solet loqui, et amicus cum amico versari.

Hoc unum precor, hoc unum exopto, uti tecum mihi penitus liceat unum fieri, utque cor meum ab omni re creata plane divellere queam, atque per sacram Communionem crebramque Missæ celebrationem cœlestia et æterna in dies magis sapere discam.

Ah, Domine Deus, quando fiam ego totus tecum unum, a te absorptus et mei ipsius plene oblitus?

Tu in me, ego autem in te, atque sic nos pariter unum permanere benigne concede.

2. Tu profecto es *dilectus meus, electus e millibus*, quocum simul habitare per omne tempus vitæ suæ, animæ meæ gratum esset.(Cant. V. 10.)

Tu verus es pacis meæ auctor in quo pax summa est et requies vera, præter quem nihil est nisi labor arduus, atque dolor miseriaque infinita.

Vere tu es Deus absconditus, nec est tibi consilium cum impiis, sed sermo tibi cum humilibus et simplicibus est. (Is. XLV. 15.)

O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo descendente, illos reficere dignaris! (*Off. de Sacr.*)

Profecto *non est alia natio iam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut tu, Deus noster*, qui universis fidelibus tuis ades, quibus, ut solatium quotidianum iis afferas, corque ad cœlum erigas, te ipsum ad edendum fruendumque tribuis. (Deut. IV. 7,)

3. Quænam enim est alia gens tam inclyta quam gens Christiana?

Aut quæ creatura sub cœlo tam est dilecta, quam anima pia, ad quam Deus ipse intrat, ut eam carne sua gloriosa pascat?

O ineffabilem gratiam, o admirabilem digna-

tionem, o amorem immensum, in hominem singulari modo impensum!

Sed quid retribuam Domino pro gratia ista, et pro charitate tam eximia?

Nihil mihi est quod gratius donare queam quam cor meum, quod Deo meo donabo ex integro, idque ei intime coniungam.

Tunc exsultabunt omnia interiora mea, quum anima mea Deo penitus iuncta fuerit.

Tunc Deus sic ad me fabitur: Si tu mecum esse velis, ego tecum esse volo. Ego autem respondebo illi: Dignare, Domine, mecum permanere, ego libenter tecum esse volo.

Votum meum unicum est, ut cor meum tecum sit unum.

CAPUT XIV.
DE ARDENTI QUORUMDAM PIORUM CORPORIS CHRISTI DESIDERIO.

Vox Discipuli.

1. O *quam magna multitudo dulcedinis tuæ*, Domine, *quam abscondisti timentibus te*. Quum pios quosdam in mentem revoco, ad Sacramentum tuum, Domine, cum summa animi devotione et affectu accedentes, crebro in me confundor et erubesco, quod ad altare tuum, sacræque Communionis mensam tam tepidus ac frigidus accedam; quod tam aridus, tamque affectione cordis vacuus maneam; quod coram te, Deo meo, penitus non accendar nec tanta vi ductus et affectus quanta pii multi, qui præ nimio Communionis desiderio, amoreque cordis sensibili, fletum reprimere non potuerint, sed ore et cordis et corporis in te, Deum, fontem vivum, medullitus pariter inhiabant, suam famem non aliter temperando satiandoque pares, quam corpus tuum cum omni animæ voluptate spiritalique aviditate sumendo. (Ps. XXX. 20.)

2. O vere ardentem fidem eorum! firmum sacræ tuæ præsentiæ argumentum!

Hi enim revera *cognoscunt Dominum suum in fractione panis*, quorum cor erga Iesum, secum ambulantem, tanta flamma ardeat. (Luc. XXIV. 35.)

Talis affectus tantaque animi devotio, amor ardorque tam vehemens sæpe longe a me est.

Iesu bone, dulcis ac benigne, esto mihi propitius, largire, saltem interdum, mendico tuo misero, ut vel modicum affectum amoris tui e corde manantis, e sacra Communione percipere possim, ut fides mea ulterius confirmetur, spes mea bonitatis tuæ proficiat, atque charitas, semel penitus accensa, cœlesteque manna experta, nunquam deficiat.

3. Potens enim misericordia tua est quæ mihi gratiam optatam præstet, quæque me, quum id tibi consultum videbitur, cum dono ardoris animi visitet.

Nam, tametsi tanto desiderio, quanto devoti tibi speciales, non flagrem, e gratia tamen tua, ingentis illius desiderii inflammati desiderio usque teneor, atque precibus efflagito optoque, ut cum iis partem habeam qui tam fervidi tamque tui amantes sunt, utque horum omnium consortio adnumerari queam.

CAPUT XV.

QUOD GRATIA DEVOTIONIS HUMILITATE AC CUPIDITATUM REPRESSIONE ACQUIRATUR.

Vox Dilecti.

1. Necesse est ut gratiam devotionis constanter quæras, cupide flagites, patienter et cum fiducia exspectes, gratus recipias, humiliter conserves, ea studiose utaris, atque ut Deo modum ac terminum supernæ suæ visitationis, donec veniat, committas.

Interest præsertim ut te, quum te pietate interna parum aut nihil moveri comperis, submittas, te tamen ultra modum deiici, aut æquo plus contristari, caveto.

Deus enim, quod interdum diutius negavit, temporis momento dare consuevit, nec raro in fine dat, quod initio precum largiri differebat.

2. Quodsi gratia protinus daretur, et ad libitum adesset, homo infirmus ea gerenda impar esset.

Quapropter gratia devotionis bona spe, humilique patientia exspectanda est. At, si negetur, aut si clam tibi eripiatur, peccatis tuis imputabis.

Exiguum quandoque est, quod gratiam aut impedit aut celat, si tamen 'exiguum' non vero potius 'grande' vocandum sit quod tantum bonum prohibeat.

Verum sive 'exiguum' id sit, sive 'grande,' si id sustuleris, penitusque victor evaseris, habebis quod tibi in votis erat.

3. Nàm, simul ac te Deo ex imo corde dederis, nec hoc vel illud pro libitu velleque insequeris, sed te ex integro ei tradideris; iunctum te cum eo pacatumque deprehendes, quia nihil est tam delectabile, quam placere divinæ voluntati.

Quisquis ergo intentionem suam corde simplici sursum ad Deum levet, seque ab omni amore inordinato, aut vero odio, cuiuslibet rei creatæ liberet, ad gratiam assequendam aptus, pietatisque dono dignus erit.

Dominus enim benedictionem ibi impertit suam, ubi vasa invenit vacua.

Ac quanto quis perfectius res infimas evitat, sibi autem ex spernendo se magis moritur, tanto gratia citius venit, tanto copiosius intrat, tantoque cor liberum altius sublevat.

4. *Tunc videbit et affluet, et mirabitur, et dilatabitur cor eius* in eo, quia manus Domini cum eo est, ipse autem sese in manus eius in omne ævum penitissime collocavit. *Ecce sic benedicetur homo* qui Deum ex imo corde quærit,*nec in vanum accipit animam suam.* (Is. LX. 5;— Ps. CXXVII. 4;— Ps. XXIII. 4.)

Is, sacram Eucharistiam sumendo, insignem meret gratiam unionis divinæ, quandoquidem non propriam pietatem atque solatium respicit, sed præ omni pietate solatioque, Dei gloriam et honorem.

CAPUT XVI.

QUOD INDIGENTIAS NOSTRAS CHRISTO PATEFACERE EIUSQUE GRATIAM PETERE DEBEAMUS.

Vox Discipuli.

1. O dulcissime et amantissime Domine, quem nunc pie excipere opto, indigentiæ et infirmitates meæ tibi cognitæ sunt quibus premor, perinde ac mala et vitia in quibus voluto, item, quam sæpe oneri succumbam, tenter, perturber atque inquiner.

Pro remedio ad te confugio, pro solatio ac sublevamine te invoco.

Te appello qui omnia novisti, cui intima mea patent, cui denique soli potestas est me solandi et adiuvandi.

Tu novisti quibus præsertim bonis caream, quamque sim virtutum egenus.

2. En, ante te miser et nudus consisto gratiam efflagitans ac pro misericordia precabundus.

Refice dape famelicum tuum mendicum, refocilla igne amoris tui cor meum, frigore confectum,

infunde lumen cœcitati meæ per claritatem præsentiæ tuæ.

Cuncta terrena mihi in amaritudinem converte, onerosa ac contraria cuncta in patientiam, infima quæque autem et creata in contemptum et oblivionem.

Erige cor meum ad te, in cœlum, nec me in terra vagari sinas.

Tu solus iam mihi dehinc dulcedo sis in omne ævum, tu enim solus es cibus et potus meus, amor meus et gaudium meum, dulcedo mea et omne bonum meum.

3. Utinam tu præsentia tua me totum succendas, comburas inque te commutes, ut per gratiam unionis internæ, liquationemque amoris candentis unus tecum spiritus efficiar!

Aridum et ieiunum a te recedere ne patiaris, sed misericordiam erga me operare, ut Sanctis tuis sæpe miro modo adhibere soluisti.

Quid mirum esset si a te totus ignem conciperem, penitusque conficerer, quum tu ignis iugis sis, nec unquam deficias, atque amor, qui corda expurget, intellectum autem illuminet.

CAPUT XVII.
QUOD CHRISTUS CUM AMORE FLAGRANTI CUMQUE AFFECTU VEHEMENTI EXCIPIENDUS SIT.

Vox Discipuli.

1. Ad te, Domine, excipiendum cum summa pietate amoreque flagranti, cum toto cordis affectu atque fervore æstuo, non secus atque Sanctorum multi, aliique pii communicando te anhelarunt, qui tibi sanctitate vitæ ac devotione fervida grati exstiterunt.

O Deus mi, Amor æterne, omne bonum meum, beatitudo interminata! Cum vehementissimo desiderio te excipere cupio, quo quisquam Sanctorum unquam arserit quodque experiri potuerit.

2. Atque, quamquam iis sensibus pietatis omnibus locupletari me prorsus indignum iudicem, sic tamen cunctos cordis mei affectus tibi oblatos esse volo, ac si eas cordis sententias gratissimas, ardore flagrantes, ipse solus possiderem.

Præterea cuncta vota quæ mens pia concipere concupiscereque possit, tibi cum profundissima veneratione ac tenerrimo animi studio offero et præbeo.

Nihil mihi reservare volo, sed cuncta quæ mea sunt, tibi mea sponte et libentissime immolare.

Domine, Deus mi, Creator mi ac Redemptor mi, cum tali tantoque affectu, reverentia, laude et honore, cum tam grato animo, dignitate et amore, cum tanta fide, spe et puritate opto te hodie excipere, quanta sanctissima tua Mater, gloriosa Virgo Maria te exoptaverat et exceperat, quum ea Angelo, sibi nuntium incarnationis mysterium afferenti, pie et humiliter respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* (Luc. I. 38.)

3. Item, quemadmodum beatus Præcursor tuus, Sanctorum illustrissimus, Ioannes Baptista, te coram, gaudio Spiritus Sancti motus lætabundus exsultaverat, dum adhuc maternis clauderetur visceribus, ac postmodum, Iesum inter homines ambulantem conspicatus, se demisso, cum pio affectu aiebat: *Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi*: perinde et ego eximiis ac sacris desideriis succendi, meque tibi ex imo corde proferri exopto. **(Ioan. III. 29.)**

Quapropter etiam exhibeo et offero tibi omnium corde devotorum iubilationes, affectus fervidos, mentes pietate exuberantes, animos lumine supernaturali illustratos; visiones cœlicas, cum virtutibus omnibus et laudibus, ab omni creatura in cœlo et in terra celebratis et celebrandis, pro me omnibusque mihi in oratione commendatis, ut ab omnibus digne lauderis, et in perpetuum glorificeris.

4. Accipe, precor, vota mea, Domine, Deus mi, atque desideria tuæ infinitæ laudis interminatæ benedictionis, quæ tibi pro immensitate, ineffabilique magnitudine tua, iure debentur.

Hæc tibi reddo, et reddere per singulos dies momentaque temporum cupio, atque ad gratias tibi mecum reddendum ac laudes, omnes spiritus cœlestes, cunctosque fideles tuos cum precibus et affectibus invito et exoro.

5. Laudent te universi populi tribus et linguæ, atque nomen tuum sanctum ac mellifluum cum summa iubilatione et pietate flagrante magnificent.

Quicunque autem excelsum tuum Sacramentum reverenter, pieque celebrant, ac plena fide

sumunt, gratiam et misericordiam a te impetrare mereantur, pro me autem peccatore iidem supplices dignentur preces effundere.

Quum vero pietatem optatam adepti, atque suavissima tecum unione potiti fuerint, ac denique, rite solati, sacraque mensa cœlesti mirifice refecti abscesserint, dignentur et mei miseri recordari.

CAPUT XVIII.

QUOD SCRUTATOR SACRAMENTI CURIOSUS NEMO ESSE DEBEAT, SED HUMILIS CHRISTI IMITATOR, SENSUS SUBIICIENDO SACRÆ FIDEI.

Vox Dilecti.

1. A curiosa et inutili scrutinio in hoc profundissimum Sacramentum tibi cavendum est, nisi in abyssum dubitationis submergi velis.

Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria. Deus enim grandioribus par est operibus, quam quæ homo capere possit. (Prov. XXV. 27.)

Pia et humilis inquisitio veritatis, quæ ad discendum semper prona est, ac secundum sanas patrum sententias ambulandi studiosa, tolerabilis est.

2. Beata est simplicitas, quæ missis ambagibus tortuosis quæstionum, semitam ingreditur præceptorum Dei planam et firmam.

Non pauci iacturam pietatis fecerunt, quum profunda scrutari susceperunt.

Fides a te exigitur sinceraque vita, non acu-

men intellectus, nec cognitio profunda mysteriorum Dei.

Si non intelligis, nec perspicis quæ subter te sunt, qui comprehendes quæ supra te sunt?

Submitte te Deo, sensus autem tuos substerne fidei, tum lumen sciendi tibi dabitur, prout utile ac necessarium tibi fuerit.

3. Aliqui in fide et circa Sacramentum non parum tentantur, at hoc non adeo ipsis, quam potius inimico est imputandum.

Ne cures; tecum mente disceptare noli, nec dubiis a diabolo tibi ingestis respondeas: crede verbis Dei, crede Sanctis eius et Prophetis, sic inimicum nequam fugabis.

Sæpe multum iuvat servum Dei talia sustulisse.

Ipse enim infideles atque peccatores, utpote quos iam securo possidet, non tentat; nec nisi fideles animo dovotos variis modis tentat et vexat.

4. Procede ergo cum fide simplici, dubiis libera, et ad Sacramentum cum reverentia supplici accede. Quidquid autem intellectu non comprehendis, Deo omnipotenti securus committas.

Deus non te fallit; is se fallit, qui sibi nimium confidit.

Deus cum simplicibus itat, sese humilibus revelat, *dat intellectum parvulis*, sensum mentibus puris aperit, abscondit vero gratiam curiosis et superbis. (Ps. CXVIII. 30.)

Ratio humana debilis est et falli potest, at fides vera falli non potest.

5. Omnis ratio et investigatio naturalis fidem sequi debet, non ei præcedere, nec eam infringere.

Nam fides et amor, qui in sanctissimo et excelsissimo Sacramento modo occulto operantur sic potissimum se exserunt.

Æternus enim immensusque Deus infinitæ potestatis magna et inscrutabilia facit in cœlo et in terra, nec ulla investigatio operum mirabilium eius esse potest.

Quodsi opera Dei id genus essent, ut ab intellectu humano facile comprehendi possent, mirabilia haud essent, nec ineffabilia dicenda.

FINIS.

INDEX.

LIBER PRIMUS.

ADMONITIONES AD VITAM SPIRITUALEM UTILES.

Cap.		Pag.
I.	De Christum imitando deque contemptu cunctarum mundi vanitatum	3
II.	De modesta sui æstimatione.....	6
III.	De doctrina veritatis.....	8
IV.	De providentia in agendo.....	12
V.	De lectione sacræ scripturæ.....	14
VI.	De cupiditatibus animi indomitis.....	16
VII.	De spe vana et de sui elatione fugienda	18
VIII.	De cavenda nimia familiaritate	20
IX.	De obedientia et sui subiectione.....	22
X.	De sui in loquendo moderatione.....	24
XI.	De pace concilianda et de studio proficiendi	26
XII.	De utilitate adversitatum.....	29
XIII.	De resistendo tentationibus.....	31
XIV.	De iudicio temerario vitando.....	36
XV.	De operibus quæ ex charitate fiunt...	38

Cap.		Pag.
XVI.	De defectibus aliorum tolerandis....	40
XVII.	De vita monastiaca.....	42
XVIII.	De exemplis sanctorum Patrum.....	44
VIX.	De exercitiis boni religiosi	48
XX.	De amore solitudinis et siletii.....	52
XXI.	De contritione cordis.....	57
XXII.	De contemplando miserias humanas	61
XXIII.	De meditando mortem.....	66
XXIV.	De iudicio, deque pœnis peccatorum	71
XXV.	De solerti emendatione totius vitæ nostræ.....	76

LIBER SECUNDUS.

MONITA QUÆ INTRORSUM TRAHUNT.

Cap.		Pag.
I.	De conversatione interna.....	85
II.	De humili sui submissione.....	90
III.	De homine bono et tranquillo.....	92
IV..	De mente pura et de proposito simplici	95
V.	De consideratione sui.....	97
VI.	De gaudio super bona conscientia.....	99
VII.	De amore Iesu super omnia.....	102
VIII.	De familiari cum Iesu amicitia.....	104
IX.	De absentia omnis solatii.....	108
X.	De animo, ob gratiam Dei grato.....	113
XI.	De paucitate crucis Iesu amatorum...	117
XII.	De regia via sanctæ crucis.....	120

LIBER TERTIUS.

DE CONSOLATIONE ITERNA.

Cap.		Pag.
I.	De interna Christi locutione ad animam fidelem	131
II.	Quod veritas, sine verborum strepitu, intus loquatur	133
III.	Quod verba Dei cum humilitate sint audienda, et quod multi ea non perpendant	135
VI.	Quod coram Deo in veritate et humilitate versandum sit	139
V.	De miro affectu amoris divini	142
VI.	De probatione veri amatoris	147
VII.	De gratia, sub tutela humilitatis occultanda	151
VIII.	De vili sui æstimatione coram Deo	155
IX.	Quod omnia ad Deum, velut ad finem ultimum sint referenda	157
X.	Quod spreto mundo, dulce sit servire Deo	159
XI.	Quod desideria cordis examinanda sint,ac temperanda	163
XII.	De formando in habitum patiendi, et de luctamine adversus concupiscentias	165
XIII.	De obedientia subiecti humilis ad exemplum Iesu Christi	168

Cap.		Pag.
XIV.	De occultis iudiciis Dei considerandis, ne rebus secundis abripiamur...	170
XV.	Quemadmodum nos sistamus quidque dicamus, quum quid appetimus	173
XVI.	Quod verum solatium in solo Deo sit quærendum.....	176
XVII.	Quod omnis cura et sollicitudo Deo committenda sit.....	178
XVIII.	Quod miseriæ temporales, ad exemplum Christi, æquo animo sint ferendæ	180
XIX.	De tolerandis iniuriis, et quis vere patiens comprobetur	182
XX.	De confitendis infirmitatibus propriis et de huius vitæ miseriis.....	185
XXI.	Quod præ cunctis bonis et donis in Deo sit requiescendum.....	188
XXII.	De recolendis multiplicibus beneficiis Dei.....	192
XXIII.	De quatuor conditionibus pacis profundæ	196
XXIV.	De vitanda curiosa in vitam alterius inquisitione	200
XXV.	Quibus in rebus consistat firma pax cordis verusque profectus.....	202
XXVI.	De præstantia animi immunis, qui precibus supplicibus potius quam lectione obtinetur.....	205

Cap.		Pag.
XXVII.	Quod amor privatus a summo bono maxime detineat.....	207
XXVIII.	Contra linguas obtrectatorum..	210
XIX.	Qui Deus, tribulatione instante, invocandus sit, eique benedicendum.....	211
XXX.	De auxilio Divino petendo, et de confidentia recuperandæ gratiæ	213
XXXI.	De neglectu omnis creaturæ, ut Creator possit reperiri.....	217
XXXII.	De repressione sui et de cunctis cupiditatibus coercendis.....	221
XXXIII.	De instabilitate cordis, deque proposito ultimo in Deum fi-	223
	gendo.....	223
XXXIV.	Quod amator præ cunctis rebus et in omnibus Deo delectetur...	225
XXXV.	Quod a tentatione, hac in vita, nulla sit securitas.....	228
XXXVI.	Contra vana hominum iudicia..	231
XXXVII.	De plena et integra sui deditione, ad cordis libertatem assequendam.....	233
XXXVIII.	De proprio regimine in externis, deque recursu ad Deum in periculis.....	235

Cap.		Pag.
XXXIX.	Quod homo in negotiis importunus ne sit	237
XL.	Quod homo ex se nihil boni habeat, et quod de nulla re gloriari possit	239
XLI.	De spernendis cunctis honoribus temporalibus	242
XLII.	Quod pax ab hominibus repetenda non sit	243
XLIII.	Contra vanam et mundanam scientiam	245
XLIV.	De rebus ad se non trahendis	248
XLV.	Quod omnibus credendum non sit; et de facili lapsu verborum	250
XLVI.	De confidentia in Deo ponenda, quum verborum iacula insurgunt	254
XLVII.	Quod causa vitæ æternæ cuncta ardua perferenda sint	258
XLVIII.	De die æternitatis, deque vitæ huius angustiis	261
XLIX.	De desiderio vitæ æternæ, et quanta bona sint dimicantibus promissa	266
L.	Quemadmodum homo desolatus, se in manus Dei offerre debeat	271
LI.	Quod qui summis deficit operibus, ei humilibus insistendum sit	276

Cap. Pag.

LII. Quod homo non consolatione dignum se reputare debeat, sed potius verberibus..... 278

LIII. Quod gratia Dei cum sapientia terrenorum se misceri non sinat..... 281

LIV. De diversis motibus naturæ et gratiæ..... 284

LV. De corruptione naturæ, deque efficacia gratiæ Divinæ..... 290

LVI. Quod ipsos nos coercere, et Christum per crucem imitari debeamus... 295

LVII. Quod quum homo in culpam quandam incidit, nimis deiectum eum esse non oporteat..... 298

LVIII. Quod profunda rerum occultaque Dei iudicia scrutanda non sint..... 301

LIX. Quod omnis spes et fiducia in solo Deo sit figenda..... 307

LIBER QUARTUS.

PIA EXHORTATIO AD SACRAM COMMUNIONEM.

Cap. Pag.

I. Quanta cum reverentia Christus excipiendus sit..... 315

II. Quod in Sacramento magna bonitas et charitas Dei erga hominem exhibeatur..... 323

Cap.		Pag.
III.	Quod sæpe communicare utile sit...	327
IV.	Quod pie communicantibus multa bona præstentur.....	331
V.	De dignitate Sacramenti, deque statu Sacerdotali.....	336
VI.	Quæstiones, quibus communicaturus sese exercere debeat.....	339
VII.	De inquirendo in propriam conscientiam, deque proposito sese emendandi.....	340
VIII.	Ut Christus se in cruce obtulerat, sic et discipulum se offerre oportere	344
IX.	Quod nos et omnia nostra Deo offerre et pro omnibus hominibus orare debeamus.....	346
X.	Quod Sacra Communio facile omittenda non sit.....	350
XI.	Quod corpus Christi atque Sacra Scriptura animæ fideli maxime necessaria sint.....	355
XII.	Quod qui Sacram Communionem adire velit, Christo se diligenti cura præparare debeat.....	361
XIII.	Quod anima devota unionem cum Christo in Sacramento toto corde anhelare debeat.....	364

Cap.		Pag.
XIV.	De ardenti quorumdam piorum corporis Christi desiderio.....	367
XV.	Quod gratia devotionis humilitate ac cupiditatum repressione acquiratur.....	369
XVI.	Quod indigentias nostras Christo patefacere eiusque gratiam petere debeamus.....	372
XVII.	Quod Christus cum amore flagranti cumque affectu vehementi excipiendus sit.....	374
XVIII.	Quod scrutator Sacramenti curiosus nemo esse debeat, sed humilis Christi imitator, sensus subiiciendo sacræ fidei.....	378

MENDA TYPOGRAPHICA.

Pag.	65	Inscriptio paginæ	lege	de contemplando,
"	125—128	"	"	**sanctæ,**
"	224	"	"	**Cap. XXXIII,**
"	261	"	"	**æternitatis.... vitæ.**
"	315	"	"	**Christum,**
"	344	"	"	**discipulum.**



GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500

All items are subject to recall.

DATE DUE

6-4-07

JUN 15 2007

GAYLORD

PRINTED IN U.S.A.